



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>





This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.








600003840L











27. 820.

ROBERTI LEIGHTON, S.T.P.

ARCHIEPISCOPI GLASGUENSIS,

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ;

PARÆNESES;

ET

MEDITATIONES

IN PSALMOS IV. XXXII. CXXX.

ETHICO-CRITICÆ.

EDITIO NOVA,

RECENSENTE



JACOBO SCHOLEFIELD, A.M. R.S.L.S.

GRÆCARUM LITERARUM APUD CANTABRIGIENSES PROFESSORE REGIO,
ET COLLEGII SS. TRINITATIS NUPER SOCIO.

CANTABRIGIÆ:

Typis Academicis excudit Joannes Smith;

VENEUNT APUD J. ET J. J. DEIGHTON, CANTABRIGIÆ;
C. ET J. RIVINGTON, ET L. B. SEELEY ET FILIOS,
LONDINI.

M.DCCC.XXVIII.

773.



ARCHIEPISCOPIS

ET

EPISCOPIS

ECCLESIAE ANGLICANÆ

LIBRUM HUNC

EA QUA PAR EST REVERENTIA

D. D.

EDITOR.

PRÆFATIO.

MORTUO Leightono Londini anno 1684, dum annum agebat 71, prodiit novem post annis fasciculus, Prælectiones has, Paræneses, et Meditationes complectens, edente quodam JACOBO FALL “ex auctoris *αὐτογράφῳ*, non sine labore,” ut ipse professus est, “propter lineas intersertas et lituras.” Constat sane ipsum auctorem non eo consilio sua conscripsisse, ut publici juris fierent; ut nil mirum si, quæ ipse sibi legenda festinanter et per compendium* scripserat, aliis nonnunquam exscribentibus minus accurate intelligerentur. Unde factum est, ut tot tantisque erratis scateret editio prima, ut librum, qui omnium manibus versaretur dignissimum, cum pauci intelligere possent, pauciores legendum curarent.

Tandem prodiit anno 1808 editio nova, quo curante nescio, sed talis quidem, ut omnes prioris

* Unum hujusmodi exemplum (fortasse plura) ipse per incuriam reliquit, in pag. 18. lin. 15. ubi pro R. S. quantocyus reponet Lector *Romanus Sapiens*, vel etiam *Stoicus*, qua utraque appellatione Noster Senecam notare solet.

turis omnibus animum ad cœlestia avocet et æterna. Hic grandes illas et gravissimas res, quæ hominem, quæ Deum, quæ immortalitatem spectant, tam pulchre, tam ornate, tam præclare videbit illustratas, ut vel ipsum Tullium philosophantem nonnunquam sibi audire videatur, sed Tullium Christianum. Non arida tractat et rigida Theologiæ dogmata Noster, non spinosas subtilitates, quæ ζητήσεις παρέχουσι μάλλον ἢ οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει: id unum agit, ut auditores omnes suadeat et persuadeat, ut evadant vere Christiani. Loquitur igitur de Deo modeste et reverenter; de decretis divinis, docte, pie, sobrie; de sanctitate, ut qui ipse Sancto Spiritu ad Dei imaginem conformatus sit; de redemptione, ut qui ad solam Christo spem ipse confugerit; denique de cœlesti patria, ut qui cœlum quotidie expectet, et pene

Lector, is qualis
opusculum, subjiciam
s Anglice quidem con-
ter et simpliciter, ut Latine
ne depravare videar:

now laid together with great sim-
nat has been the chief subject of my

thoughts for above thirty years. I was formed to them by a Bishop, that had the greatest elevation of soul, the largest compass of knowledge, the most mortified and most heavenly disposition, that I ever yet saw in mortal; that had the greatest parts as well as virtues, with the perfectest humility, that I ever saw in man; and had a sublime strain in preaching, with so grave a gesture, and such a majesty both of thought, of language, and of pronounciation, that I never once saw a wandering eye where he preached, and have seen whole assemblies often melt in tears before him; and of whom I can say with great truth, that in a free and frequent conversation with him for above two and twenty years, I never knew him say an idle word, that had not a direct tendency to edification; and I never once saw him in any other temper, but that which I wished to be in in the last minutes of my life.”*

Valeas jam, Lector: LEIGHTONUM legas,
et, quantum possis, imiteris.

CANTABRIGIÆ,

Decimo Cal. Novemb. 1828.

* Pastoral Care, sub fin.

SYLLABUS PRÆLECTIONUM.

	Pag.
I. PRÆLECTIO Procemialis	1
II. De Felicitatis Appetitu, Nomine, et Definitione...	9
III. De Felicitate Humana, scil. Quod sit.....	14
IV. In qua evincitur, Felicitatem Humanam nec in terris nec terrenis reperiri	20
V. De Immortalitate Animæ	29
VI. De Vitæ Futuræ Felicitate	39
VII. De Existentia Dei	47
VIII. De Dei Cultu, Providentia, ac Lege Homini im- posita	62
IX. De Utilitate et Jucunditate Religionis	69
X. De Decretis Divinis	74
XI. De Creatione Mundi	81
XII. De Hominis Creatione.....	94
XIII. De Providentia	104
XIV. De Christo Salvatore	115
XV. De Regeneratione	121
XVI. De Regeneratione	134
XVII. De vera Felicitate et Vita Æterna	144

	Pag.
XVIII. De Religione Christiana, quod vera sit ad Felicitatem Via.....	152
XIX. Quod Sanctitas unica sit in terris Felicitas	161
XX. De Felicitate nostra, quod in Deo sita sit, qui solus ejus consequendæ viam nobis monstrare possit, quam et in Sacra Scriptura patefecit, cujus Divina Auctoritas astruitur	167
XXI. De Attributis Dei.....	181
XXII. De Vita pie instituenda.....	187
XXIII. De puritate Vitæ	194
XXIV. Ante Sacram Synaxin.....	201
XXV. Oratio Parænetica: Ad Studiosam Juventutem a Feriis reversam.....	208
—————	
PARÆNESES	215
—————	
MEDITATIONES in	
Psalmum IV.....	271
———— XXXII	298
———— CXXX	314

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ


IN

AUDITORIO PUBLICO ACADEMIÆ EDINBURGENÆ

HABITÆ,

DUM PROFESSORIS PRIMARIJ MUNERE

AUCTOR IBI FUNGERETUR.



REVERENDISSIMI
ROBERTI LEIGHTON,

ARCHIEPISCOPI GLASGUENSIS,

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ.



PRÆLECTIO PROÆEMIALIS.

MAGNUM opus parvus aggredior, imo opus omnium maximum, omnium minimus: ecquid enim inter hominum instituta nominari potest sublimius, quam humanas mentes ad divinam imaginem de novo effingere? Hunc autem non solum pastorum in suis gregibus, sed et doctorum in scholis, genuinum esse et præcipuum scopum, nemo est, ut opinor, qui non fatebitur. Et licet munus hoc Academicum illi alteri pastorali in plerisque non illubenter cedat, hac una tamen ratione aliquanto altius tendere videtur, quod illius sit vulgares ut plurimum animas, hujus vero selectiores, literatam scilicet et studiosam juventutem, doctrina cœlesti imbuere, e quibus spes sit nonnullos, bono cum Deo, ejusdem doctrinæ nuntios postmodum evasuros. Et quibuscunque hoc operis divina manu impositum est, certe hoc ipso ad illud exequendum

tanto alacrius sese accingere æquum est, ubi secum reputant, quam longe effluere, et in quam multos Domini nostri agros, tanquam per canales et aquæductus, suo tempore transmitti possit, quicquid eruditionis Christianæ et veræ pietatis in teneros discentium animos infuderint. Non absimili quidem argumento Plutarchus philosophos ad mag-nates et principes instruendos animare conatur, et ne morose illorum consortium fugiant, suadet; sic enim, inquit, *compendio quamplurimos juvabitis*: nam qui plebeios et idiotas docet, ille singulos tantum homines, etiamsi maxime profecerint, privato tantum commodo, virtute et sapientia instruit; sed si quis præfectis et magistratibus, iisve, qui tales futuri sunt, erudiendis operam impenderit, unum animum excolendo magnis hominum cœtibus beneficium parat. Et certe nullus medicus est, ἀν φιλόκαλος ἦ, ut ille loquitur, qui non multo libentius oculum sanaret, qui pro multis visurus et vigilaturus est: et faber λυροποιὸς citharam tanto jucundius concinnaret, si sciret illam Amphionis manibus tangendam, lapides ad Thebanæ arcis muros extruendos sponte sequaces ducturam: quod Vir doctus et acutus huic nostro proposito applicans, Doctores Academicos *Fabros* appellat *Lyrarum*, quibus celebrioris et pulchrioris multo civitatis, Jerusalem scilicet cœlestis, muri condendi sunt, lapidibus ipsis vere et sine fabula, utpote vivis, dulci harmoniæ Evangelicæ vi attrahente, ad ædificia ultro accedentibus.

Non tam me ignoro, ut eum me putem, qui vel tantillum profectum in tanto negotio ex suo ipsius artificio sperare ausim; sed divino beneficio et favori humiliter innitentem spem alere quid vetat? In omnipotenti enim manu paria sunt omnia instrumenta; nec omnino dubitandum est, illum quidlibet ex quolibet efficere posse, qui *omnia fecit ex nihilo*; illum facillime debiles firmare, et egenos ditare, qui omnia dat omnibus, ζῶν, καὶ πνοήν, καὶ πάντα; et quicquid vacui est in nobis, illius attrahit ac invitat plenitudinem,

Ὅς πάντα πληροῖ, καὶ ἄνω πάντος μένει·

Ὅς νοῦν σοφίζει, καὶ νόον φεύγει βολάς.

Illius itaque auspiciis, Adolescentes, ad veram et salutarem sapientiam aspirandum; et tentanda est via, qua nos *quoque* fas sit *tollere humo*. Non est enim mihi animus vos quæstiuncularum et disputationum rubetis implicare; sed si quid illius artis in me esset, per amœnas et faciles pietatis semitas ad beatam vitam quam libenter vos et me comitem talem ducerem, animosque vestros anhelis desideriis et fervido cœlestium amore accendere gestirem; et, ut cum magno illo Theologo loquar, πτερυγᾶν τὰς ψυχὰς, καὶ ἀρπάσαι κόσμον, καὶ δοῦναι θεῷ· *alas addere animis, et abripere a mundo, et reddere Deo*. Pleraque autem, (si detur libere loquendi venia,) quæ etiam in Theologicis scholis tractantur, et magno cum apparatu et strepitu docentur et disputantur, spinosum forte acumen

habent, sed simul certe spinosam sterilitatem; lacerare et pungere possunt, animos pascere non possunt; *nemo enim ex spinis uvas collegit unquam, aut ex tribulis ficus. Quorsum alta, inquit ille, de Trinitate disputare, si careas humilitate, et sic Trinitati displiceas*¹? Et apte S. Augustinus ad illud Esaiæ, *Ego Deus tuus docens te utilia; utilia, inquit, docens, non subtilia.* Et hoc est quod opto et oro, ut, nobis pro modulo nostro subdocentibus, ille efficaciter vos perdoceat, qui cathedram in cœlo habens, corda docet in terris.

Ut autem luminis et doctrinæ cœlestis capaces sitis, ante omnia necesse est, revocentur animi vestri ad seipsos: quamdiu enim dispersi et disgregati nugis et ineptiis venandis inhiant, quisquis iis præcepta et monita sapientiæ obtulerit, ea levibus ventis, tanquam Sibyllæ folia, committit. Multi certe laboris et egregiæ artis est, corda hominum, præcipue juvenum et puerorum, figere, et ad semetipsa exploranda applicare. In parabola Evangelii legimus de filio perduto, illum primo *rediisse ad se*, et tum demum *ad patrem*. Magnus siquidem erga conversionem ad Deum gradus est animus ad se et res suas pensitandas conversus: quod pius Bernardus hoc voto signanter exprimit; *ab exterioribus, inquit, ad interiora redeam, et ab interioribus ad superiora ascendam.* Ego quidem

¹ Thomas-à-Kempis.

pro lucro non exiguo ducerem, si vel unum vestrum in hoc cœtu, utinam plures! O utinam omnes! persuasos dmitterem, ad consilia magis quam antehac seria et secreta de sua immortalitate et rebus æternis ineunda.

O vanas hominum mentes! O pectora cæca!

Hoc est quod de populo suo conqueritur Dominus; *non habent cor ad cogitandum*. Hoc magnum dedecus, hæc magna humani generis miseria, ἀπρονοητῶς vivere. Ἀβουλία illa brutalis, (veniam detis vocabulo, ut quod res est clarius eloquar,) mors animarum est inconsideratio. Quam vere dictum ab antiquis, *Intellectus cogitabundus principium omnis boni*.

Monet Psaltes, *loquimini vobiscum*; quod pauci certe faciunt, plerosque hominum nusquam rarius invenias quam apud se. Vos autem velim vobismet ipsis familiares, et, ut studiosos decet, domi manentes, et vobiscum habitantes et sæpissime loquentes. Serio cogitate, Quorsum vivo? quo vado? Teipsum interroga,

Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?

Hæc, quæ pro fide Christiana amplexus sum, et toties audiui, de seculo futuro, de vita et morte æterna, utrum vera sunt an ficta? si vera, quod indubitanter credere profiteamur omnes, tunc certe vana sunt, et vanitate ipsa leviora, etiam maxima

hujus seculi negotia, omnis scientia inscitia, et pauperies divitiæ, et amaræ dulcedines, et honor vilis et indecorus. O quam ignorant homines gloriæ cupidi, quæ ea sit, aut quemadmodum petenda! imo, umbram gloriæ avide captantes, veram, et solidam, et sempiternam fugiunt et aversantur. Piorum futura felicitas res est supra omnem sermonem nostrum, imo et omnem conceptum, immane quantum elevata; nos, parvis magna componentes, res illas altas et invisibiles terrenis et notis adumbramus tantum; imo et sacræ scripturæ in hoc nobis συγκαταβαίνουσι, quemadmodum Hebræi dicunt, *Lex Dei loquitur linguam filiorum hominum*: cœlestem illam vitam sub hæreditatis et divitiarum, sub regni et coronæ nominibus representant, sed cum epithetis non communibus, nec terrenæ gloriæ ulli vel opulentiae congruentibus. Hæreditas est, sed ἀφθαρτος, ἀμίαντος, ἀμόραντος: *incorruptibilis, impolluta, immarcescens*. Regnum est, sed ἀσάλευτον, *quod concuti nequit*, multo minus dirui; quod de thronis sublunaribus dici non posse, abunde testatur omnis historia, et etiam nostra quam recens experientia. Offeritur vobis, si Evangelio fidem adhibetis, hæreditas et corona, tanta et talis. Audite, *fili Adam*, avarum atque ambitiosum genus: ecce, hic locus est laudabili avaritiæ atque ambitioni non tantum excitandæ, sed et explendæ; sed necesse est fateamur raram esse harum rerum fidem. O cara fides! etenim nec injuria exclamaret aliquis, inter magnos

in hisce terris credentium greges ecquis est, qui credit? Nunquam mihi persuadebit se cœlestia credere, qui terræ adhæret, imo qui non illam cum illecebris omnibus spernit ac ridet, omnesque nervos affectus et laboris sui eo intendit unice, ut immensa illa et æterna consequatur.

Nec in via ipsa quicquam est quod absterreat, nisi animæ vitæque sanctitas lex dura et molesta videatur; qua certe nihil homine dignius, nihil decentius, nihil jucundius dici potest. Obsecro itaque vos et obtestor, Adolescentes, per misericordiæ divinæ viscera, per carissimas animas vestras, hæc revolvatis serio, et in hæc studia potissimum incumbatis: periculum facite sine periculo, experimini tantum hujus sapientiæ vias, nec dubito eas tanta dulcedine vos allecturas, ut ab iis nunquam recedatis. Hoc apprime hortor, ut assidui sitis in oratione: imo hortatur vos S. Paulus², ut *indesinenter oretis*; adeo ut oratio non tantum sit, secundum vetus illud dictum, *clavis diei et sera noctis*, sed, ut ita loquar, baculus de die, et lectulus de nocte, quæ duo uno fere Hebræo vocabulo³ significantur. Et certe quanto frequentius, tanto facilius et jucundius orabitis; non tantum ex communi actuum et habituum ratione,

² 1 Thess. v. 17.

³ [Scil. מטה. Conf. Genes. xlvii. 31. Heb. xi. 21.]

sed quia oratio, cum sit colloquium cum Deo, animam usque et usque puriorem Deoque similio-rem reddit, illiusque amorem ex frequenti illo aspectu et colloquio in tantum adauget, ut eo avidius et ardentius animus feratur, nec omnino sine illa frequentia vivere possit.



PRÆLECTIO SECUNDA.



DE FELICITATIS APPETITU, NOMINE, ET DEFINITIONE.

O QUAM profunda est et tenebrosa miseræ abyssus, in quam plorabili suo lapsu demersum est humanum genus, cum veri sui boni non solum possessione, sed et cognitione exciderit, et nec quodnam illud sit, nec quæ sit redeundi via, quaque gradum revocet, perspectum habeat! Retinet tamen, licet tanto lapsu attonita, mens umbram aliquam et confusas veluti species amissi boni, et *cognati semina cœli*, et languidum quendam indigentiae sensum, et obscuræ illi notitiæ hebetique sensui conformes affectus, motusque animi in tenebris palpantis, et ubique requiem quæritantis, invenientis autem nullibi. Hoc certe extra omnem dubitandi et disputandi jacturam positum est, omnes homines bene sibi velle, imo bonorum absolutissimum atque optimum optare sibi et captare omnes; et ne perditissimos quidem hominum hunc erga se affectum vel perdidisse, vel omnino posse perdere. Et quamvis, heu! nimis verum sit, nos natura cæcos in miseriam felicitatis nomine obtectam festinare, et non solum (quod aiunt) *nubem pro Junone*, sed mortem ipsam pro

vita amplecti; hoc tamen vel ex illo ipso infelicissimo errore aperte constat, nos felicitatem velle persequi vel ipsam, vel ejus imaginem, prout occurrit et apparet. Nec exuere potest hanc ὀρμὴν animus humanus, nisi se exuat; hoc est, quod scholastici stylo suo dicunt, *In beatitudinem fertur voluntas, non ut voluntas, sed ut natura.*

Verum quidem est, vulgus hominum animorum suorum motus nec bene nosse nec observare; sed, pecudum more, in obvia quæque impetu cæco ferri, et vel non omnino, vel parce admodum, *in sese descendere*, et reflexo intuitu introspicere: in omnibus tamen illorum negotiis et votis, licet ipsos lateat, inest et operatur hic immortalitatis appetitus. Circumspicite hominum occupatorum et cursitantium turbas, medicos, juridicos, mercatores, mechanicos, et agricolas, imo et milites ipsos: laborant omnes ut quiescere possint, si modo felix aliqua messis tandem voto illi respondeat, et spe illa allecti, sudore suo sementem rigant¹; sed redit labor ac si in orbem, et transeunt dies mortalium in malis veris perpetiendis, et bonis falsis sperandis; *in imagine versatur omnis homo, et se vanissime cruciat*²; tranquillitatem tanquam umbram suam insequitur, et nunquam attingit, sed ut plurimum prius vivere desiit, quam vivere incipiat. Verum tamen hic ipse cæcus et temere

¹ [Edd. *rigent.*]

² Psal. xxxix. 6.

oberrans boni sui appetitus, innatus nobis et alta mente radicans, est ansa illa magna, qua divina gratia humanam naturam apprehendit ac trahit, et a miseræ suæ profundo extrahit.

Magnus itaque sacræ doctrinæ scopus idem prorsus est cum magno humanæ vitæ et naturæ scopo; et qui illam rejicit, *odit et animam suam*. Sic enim ἐμφαιτικῶς loquitur Hebræorum Rex sapiens: acerrimus est suæ animæ hostis, eique secum male convenit; secundum illud S. Bernardi, *Postquam posuisti me contrarium tibi, factus sum contrarius mihi*.

Hæc cum cogitarem, quæcunque demum sunt, quæ de doctrina Christiana in posterum, Deo favente, dicturus sum, ab ultimi hominis finis consideratione initium sumendum duxi. Transcendens quidem et supremus omnium finis est *divini nominis gloria*, cunctis eo, unde emanarunt, pulcherrimo circulo sic revertentibus; sed veræ religionis, in quantum nos respicit, finis ultimus, supremoque illi proxime et præclarissime inseruiens, est humani generis salus, seu felicitas.

Felicitatis nomen in genere quid significet, etiamsi non dixerim, neminem puto vestrum ignorare. Dicam tamen, ut tum hoc ipsum forsant, tum alia quæ superstruenda sunt, clarius intelligatis. Nec lis hac in re ulla est; omnes enim

homines per illud, quod Hebræi אֲשֵׁרֵי, Græci μακαριότητα sive εὐδαιμονίαν, Latini *felicitatem* seu *beatitudinem* appellarunt, hoc unum significari consenserunt, *Perfectum naturæ intelligentis bonum*. *Naturæ*, inquam, *intelligentis*; nec enim inanimata nec bruta animalia nisi catachrestice admodum beata quis dixerit, non boves aut equos felices, licet saginatos et otio liberrimo relictos. Et sicut proprium est intellectualium bonum, sic etiam perfectum, modo pleno et perfecto sensu sumatur, felicitas. Licet enim vulgaris sermo tituli hujus admodum prodigus sit, eoque desultoria levitate ad obvia quæque bona vel boni umbras abutantur, præcipue quibus ipsi indigent, prout monet Philosophus vester in Ethicis, ὁ νοσήσας ὑγίειαν, καὶ ὁ πενόμενος πλοῦτον, *infirmus sanitatem, et pauper divitias*, bonum illud autumant; nec non eruditi, imo et sacri scriptores indicia quædam et initia futuræ felicitatis ipsius nomine insigniant, perfecto tamen (ut dictum) et vere suo sensu perfectissimam et omnibus numeris absolutam boni plenitudinem complectitur, ut nihil omnino adsit quod angat, vel desit quod delectet. Bonum itaque quicquid illud sit, quod totam appetitus rationalis sphæram absolutissime compleat, *felicitas* est, ut loquuntur, *objectiva*: ipsa autem actualis seu formalis felicitas est, *illius boni possessio et fruitio*. Est perfecta tranquillitas mentis, eaque non stupida et hebes, tanquam maris Mortui tranquillitas, sed vivida et florida et semper læta;

non ἀναλγησία et indolentia sola, sed insuper summa et exuberans jucunditas; et, nisi viliores usus vocem depressissent, *Voluptatem* dicere non dubitarem³: imo et sic dicamus fidenter, modo hoc ῥαντισμῶ, his, inquam, adjunctis lustremus; ut voluptas sit perfecta, perennis, pura, spiritualis, divina. Nunquam enim, ex quo in hujusmodi rebus iudicio uti ausus sum, placito illi Aristotelis et scholæ acquiescere potui, fruitionem pleni boni (ea autem est felicitas) a jucunditate illius fruitionis distinguenti: bonum enim illud sic non erit ultimum, nec propter se expetitur: quicquid enim optamus boni possidere, ideo optamus, ut tranquilli et læti eo fruamur. Et delectatio illa perpetua, seu satietas sine fastidio, est *amor possidens et voti compos*.

³ Ἡ εὐδαιμονία ἡδονὴ ἀμεταβλητός· *Felicitas (est) voluptas semper eadem.* Socrates apud Stobæum.



PRÆLECTIO TERTIA.

DE FELICITATE HUMANA, SCIL. QUOD SIT.

NON commovebit vobis bilem, ut opinor, nec in opprobrium dictum putabitis, quod vobis, et certe mihimet vobiscum, sanam et seriam mentem repetito jam semel atque iterum voto optaverim; nam ut, quod res est, dicamus, perpaucis hominum datur esse tam beatis. Maxima longe pars vel voluptatibus vel curis seculi ebria est, et incerto gressu huc atque illuc titubat, et *via stulti fatigat illum*, ut inquit Salomon, *quia nescit qua itur ad urbem*¹. Viam ad urbem illam cœlestem et visionem pacis quam pauci norunt aut quærunt, imo neque sciunt quid omnino sit, quod quærant: casu vivunt et fluctuant, nec portum certum proponunt, nec ad sidus aliquod navigationem dirigunt, et nescienti quem portum petat nullus ventus est secundus; nec sagittam dirigit, cui nondum scopus est quo dirigat. Nos ut scopum certum habeamus, de scopo et fine summo disserere institui.

¹ Eccles. x. 15.

Et ut a Patre Spiritus sive Intelligentiarum ordiamur. DEUS benedictus in secula, et ab omni ævo beatissimus, est ipse sibi sua beatitudo: sua *αὐτάρκεια*, æterna illa et infinita quam in seipso habet complacentia, Dei propria et plenissima felicitas est, cui *esse* sibi sufficit, efficitque cuncta: quod apte S. Chrysostomus, Θεοῦ μάλιστα ἴδιον τὸ ἀένδρες. *Dei maxime proprium est indigum non esse*: et egregie Claudius Victor:

Regnabatque potens in majestate creandi,
 Et facienda videns gignendaque mente capaci
 Secula dispiciens, et quicquid tempora volvunt
 Præsens semper habens: immensum mole beata
 Regnum erat ipse sibi.

Et tamen balbuties mera est quicquid de illa prima et increata felicitate et majestate loquimur: hic nos destituit non solum sermo, sed et cogitatio omnis, ubi illum *ἀνθείαστον*², τὸν ὄντα sine hominibus, sine angelis, sine ulla creatura, per infinita retro secula in se solo manentem, et lucentem, et beatum, et lætum contemplamur.

³ Τίνος ὄμμα σοφὸν	<i>Cujus oculus sapiens</i>
Ταῖς σαῖς στεροπαῖς	<i>tuis fulgoribus</i>
Ἀνακοπτόμενον	<i>præstrictus</i>
Οὐ καταμύσει;	<i>non occludetur?</i>

Descendamus itaque ad nos ipsos, sed animo revertendi et ascendendi rursus ad illum; et de-

² [*ἀνθείαστον* quid sit, nescio: num *ἀνεξέταστον*?]

³ *Synes. Hymn. Tert.*

scensus hujus ad nosmet considerandos propositum et scopus sit ascensus et reditus ad Deum: si enim de ultimo fine nostro inquiramus, in ascensum illum terminetur et desinat ea inquisitio necesse est; finis enim ille ultimus is ipse est, ultra quem nec principium datur nec finis. Angelorum felicitatem, licet intermedius ille gradus sit, omitemus; tum quia de nostra disserere instituti nostri est; tum quod utraque felicitas, illorum et nostra, quod ad rei summam, eadem prorsus esse invenietur.

Et de nostra primo statuendum *Quod sit*; tum demum *Quæ sit*, aut in quo sita, inquirendum. Dari itaque *humanam felicitatem* asserimus, idque potius ut indubitanter supponendum, quam præcise probandum. Humanam cum dico, intelligitis, sat scio, me non velle eam, quæ in rebus humanis posita est; sed subjective sumere, et hominum felicitatem intelligere. Illam autem non solum inter possibile esse, sed et ab aliqua saltem humani generis parte reipsa attingi, qui negatum iret, næ ille non solum ea felicitate, sed et ipsa humanitate indignissimum se redderet, quippe qui illam⁴, quantum in se est, altissima sua spe summoque honore spoliaret. Verum quicumque concedit omnia a sapientissimo opifice condita, is hominem, omnium operum visibilium caput et

⁴ [Edd. *illum.*]

decus, digni et congrui finis capacem factum esse dubitare non poterit. Hæc præcipua est hujus machinæ pulchritudo, quod omnia tam egregio ordine disposita sunt, et unumquodque in aptum aliquem et concinnum finem, qui si dignissimæ aspectabilis mundi parti homini deesset, quanta foret deformitas, quam μέγα χάσμα, eo autem magis quo vividius inditum est homini, ut diximus, talis finis desiderium, ὥστε κενὴν εἶναι καὶ ματαίαν τὴν ὄρεξιν, adeo ut inanis esset et vanus hic appetitus; et sic morbida illa et querula vox, quam in paroxysmo doloris edidit Psaltes, aliquid, quo defendi posset, haberet, *Quare fecisses omnes homines in vanum*⁵? Hoc non tantum esset horrendum in natura vacuum, sed (ut ita loquar) concreata miseria et ineluctabilis integræ propaginis humanæ cruciatus, si ad boni nunquam obtinendi, et prorsus impossibilis, non solum irritam capacitatem, sed irrequietum appetitum homo formatus fuisset: hoc vero cum non omnino admittendum sit, necessarium est dari aliquod plenum, et permanens, et satians⁶ bonum, quo potiri possit homo, et quo potitus vere sit beatus.

Quod cum animo revolvimus, annon acrem intus stimulum sentimus, quo, aliis curis omissis omnibus, ad hoc unum bonum cognoscendum et consequendum excitamur? Adhæret nobis, fateor, in

⁵ Psalm lxxxix. 47.

⁶ [Edd. *satiens.*]

corpore degentibus, corporeis et caducis utendi necessitas; sed ut ventri vel carni serviamus, terræve affectu adhæreamus, nulla est necessitas, imo summa est et non ferenda indignitas. Ecquis est qui putet hominem natum ad cibos tantum et potus percolandos, reliquosque bruti corporis appetitus satiandos, ad ventos aucupandos, et spes evanidas ac fallaces per totam vitam venandas; qua tamen brevi insania transacta in terram recondatur, et in pulverem resolvatur? Absit ut sic concludamus: datur aliquid proculdubio ulterius, idque tam magnum et diuturnum, ut præ illo punctum illud quod hic vivimus, cum omnibus ejus negotiis et deliciis, fumo vanius et vilius. *Major sum, inquit R. S. et ad majora genitus, quam ut sim mancipium mei corpusculi.* Quanto verius, si regeniti sumus de cœlo, hoc nos dicamus! Pudeat nos vivere capite demisso, tanquam pecora prona et terram spectantia, vel etiam aereas et vanas scientiæ umbras sectari, interea vel nescientes, vel non cogitantes, unde orti, et quo brevi reversuri simus⁷, quis locus nostras excepturus sit animas solutas hisce corporis compedibus. Si unice hanc felicitatem viamque eo ducentem nosse avent animi vestri, *Scrutamini Scripturas; ex illis enim solis putamus, aut putare profitemur omnes, nos vitam æternam habere posse.* Hortor vos et obsecro, ne vel ex desidiosa negligentia, vel ex nimia in mi-

⁷ [Edd. *sumus.*]

noribus studiis diligentia, ullum prætermittatis diem, quo non aliquam sacri codicis partem pio atque attento animo legatis, precem lectioni comitem semper adhibentes, ut per illam lucem divinam attrahatis, sine qua divina legi et intelligi non possunt. Luce autem illa affulgente, ineffabile est quantum hæc scripta *θεόπνευστα* supra Ciceronem et Demosthenem et Homerum et Aristotelem, omnesque alios oratores, poetas, et philosophos dulcescent. Illi de felicitate imaginaria disputant, et pro suo quisque more, vana quædam ac incerta dicunt; verum autem quæ ea sit, et qua eundem ad illam consequendam, hic solus liber et certissime et clarissime docet. Hoc est quod S. Augustini affectum et studia huc convertit: *Apud Ciceronem et Platonem aliosque ejusmodi scriptores multa, inquit, sunt acute dicta et leniter calentia; sed in iis omnibus hoc non invenio, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vobis requiem præbebo*⁸.

⁸ Matt. xi. 28.

PRÆLECTIO QUARTA.

IN QUA EVINCITUR FELICITATEM HUMANAM NEC
IN TERRIS NEC TERRENIS REPERIRI.

UNUM est quod quærimus omnes, et fere omnes extra viam. Et certe quo diutius et velocius in deviis currimus, eo longius ab optato termino removemur. Quod si ita sit, nihil poterit cogitari et dici opportunius, quam de via inquirere, recta illa et unica, omnes quo poterunt *Boni fontem visere lucidum*. Meministis (sat scio) nos, superiore vice, quæstionem illam longe ponderosissimam de ultimo fine, seu de felicitate indaganda proposuisse; erga quam universos homines naturali atque adeo constanti et ἀδιατρέπτῳ ὄρμῃ aspirare asseruimus, vel potius omnes illam satis nosse, imo intra seipsos realiter sentire, vel posse saltem, si se intus norint, supposuimus. Huc nempe omnes omnium labores et sudores tendere, huc collimare omnes, non solum acutim cernentes, sed etiam lippos, et μυωπάζοντας¹, imo et cæcos; qui, scopum hunc suum licet non omnino videant, attingere tamen optant²: sub cōfusa quadam specie scilicet

¹ [Edd. μυωπάζοντες.]

² Πρῶτόν τε, ἔσχατόν τε, καὶ μέγιστον καλόν· *primum, ultimumque, et maximum bonum*.

et nominis obvio sensu felicitatem volunt; quæ quid sibi velit, secundum generalem illam prænotationem diximus: *Perfectum scilicet naturæ intelligentis bonum*. Dei felicitatem, sicut et esse, in seipso et seipsum esse non est ambigendum: sed de nostra inquirimus. Dari autem aliquem naturæ nostræ congruum et beatificum finem, negari omnino non posse indubitanter statuimus. Cum enim omnes hujus universi particulæ aptum aliquem et analogum sibi finem habeant, mutilam in hoc et frustraneam esse præstantissimam sublunarium omnium naturam, tam insignis esset solœcismus, et totius opificii deformatio, et supremo ac sapientissimo Conditore tam indignum, ut non solum non admitti, sed ne in suspicionem quidem cadere possit. Hoc itaque statuto, dari ultimum aliquod bonum, quo adepto humana mens satietur et requiescat, ad hoc pervestigandum, quodnam sit, et ubinam inveniri possit, jam progrediamur.

Primus autem, isque non contemnendus, explanationis hujus erit gradus, ubi et in quibus bonum illud perfectum reperiri non possit, indicare: non solum quod eo facilius erit, imo sponte sequetur, ejus, in quo situm est, determinatio; sed quia, ut dictum, maximam longe hominum partem falsas sectari species umbrasque felicitatis comperiemus, et per totam vitam errare, atque *viam palantes quærere vitæ*, ubique fere bonum illud venantes ubi non est; et ab hac erratica et irrita cursita-

tione prius revocandi sunt, quam in rectum tramitem duci et dirigi possint. Nec partem hanc negativam, in plura capita illam trahendo, eaque seorsim tractando, protraham; sed omnes super hac re errores, innumeri licet sint, tam practicos et vulgares, quam didacticos et philosophicos, in unum fasciculum cogam, eorumque integram antithesin unica propositione complectar, cujus explanationem hac vice *σὺν Θεῷ*, idque breviter admodum, expediam.

Ea autem hæc est: felicitatem humanam, seu integrum et perfectum hominis bonum, in terrenis non dari, imo nec omnino in terris.

Omnis confirmationis aut illustrationis loco quid si hoc tantum dicerem? si datur intra hunc quem aspiciamus orbem, vitæque hujus terrenæ horizon-tem, plena felicitas, prodeat, quæso, qui invenit. Dicat qui possit, quæ stella sit cujuscunque magnitudinis, vel quæ Pleiades, quodve sidus seu constellatio, cujus tam benignus aspectus et influxus sit, quod unicum in terris bonum, vel quæ bonorum complicatio, quæ homini felicem vitam largiatur? Omnia certe, quæ hactenus humanos oculos attraxerunt, tanquam stellæ splendidæ, intra paucos dies evanescentia, cometas se esse prodiderunt, non solum non beneficos, sed infaustos: *οὐδεὶς γὰρ κομήτης, ὅστις οὐ κακὸν φέρει* *nullus enim est cometa, qui non malum fert.* Quæsierunt illam jam per

tot secula, quotquot vixerunt, nobiles, ignobiles, docti, indocti, sapientes. Ecquis inter omnes est vel fuit, qui dixerit εὔρηκα? Definierunt et descripserunt illam varii varie, et pro suo quisque ingenio, multas ejus imagines pinxerunt; sed post homines natos ne unus quidem extitit, qui sic testatus est, Ecce hic est, ego illam teneo, et in plenam ejus possessionem veni. Imo a quibus hoc maxime expectandum foret, quippe qui ad insequendam et sagacissimi et instructissimi fuere, hanc unam totius suæ industriæ rationem reddidere, *Non inventa est*. Mirum autem esset bonum aliquod homini συμφυὲς esse, et ad quod homines nati sint, quod ne uni tamen hominum unquam contigerit; nisi quis velit in hoc similes esse res vitæ speculationibus scholæ, ut, sicut illi de *Scibili* loquuntur, cujus nulla est scientia, sic et esset bonum aliquod homini possibile, cujus tamen nulla sit possessio.

Sed ut rem propiori paulo aspectui subjiciamus, et currenti saltem oculo distinctas vitæ periodos pertranseamus. Infantes nondum humanam vitam agunt, nedum felicem: qui tamen si cum provectoribus conferantur, humili quodam et improprio sensu duo habent feliciora, innocentiam scilicet et ignorantiam: maturior enim ætas nil tam constanter et fœcunde quam labem et inquinamentum adjicit, et rerum experientia et cognitione magis angit quam instruit. Unde vir magnus in Tra-

gœdia, infantem suum miseriarum suarum inscium amplexus, non sine aliqua ratione videatur dixisse, τὸ γινῶναι μηδὲν ἐστὶν ἡδιστος βίος. *Scire nihil est vita suavissima.* Et certe progressu vitæ ab infantia ad pueritiam facto, hoc fere est quod lucratur, miseriarum vitæ fieri capaces, et, crescente nobis rerum sensu, crescere dolorem et cruciatum: vel enim ad labores serviles, artesve mechanicas applicantur pueri; vel, quibus ingenua magis et liberalior contingit institutio, hoc ipsum in pœna est, sub ferulis, et flagris, et parentum præceptorumque imperio, quod sæpe contractior tyrannis est, coerceri; et ubi vel maxima prudentia lenitur, durum tamen usque videtur jugum, utpote reluctantibus puerilium animorum dotibus, et votis et libertati optatæ inimicum.

Juventus autem, voti illius compos facta, mentis impos ut plurimum evadit; nec tam a miseria priori liberata exit, quam illam pejori, ea ipsa scilicet libertate, commutat, et e portu solvit, ut per Syrtes et Sirenas naviget, quas utrinque prætervecta navis tum demum in altum mare provehitur, et heu! quibus illic jactatur fatis! Quot obversantur venti adversi! Quot procellæ naufragium minitantes! Quot avaritiæ, et ambitionis, et invidiæ, vel suæ interius agitantis tormina, vel alienæ saltem exterius occurrentis flamina, ferenda! Inter quæ vel citius obruitur navicula, vel lassa tandem et lacera, senectute attrita, diffringitur.

Nec multum interest, - quam vitæ quis ineat rationem, quemve gradum in humana societate obtineat: omnes enim rerum et vitæ figuræ, in quantamcunque fingantur varietatem, multo majori malorum et molestiarum varietate, aliæ forte aliis pluribus et gravioribus, sed omnes non paucis, suis singulæ urgentur. Otio et secessui si te dedis, inertis te et inutilis et umbratilis vitæ persequetur et opprobrium et tædium. Negotiis te si implicas, quæcunque sint, vel mercaturæ, vel militiæ, vel agri, vel fori, labores et pericula semper, sæpe etiam casus tristes et damna, subeunda. Cælibatus solitudine; conjugium solitudine laborat. Rudis est et inculta res ἀμαθία. Doctrinæ autem studium res maximi laboris, et magna ex parte, sive ipsam scientiam spectes, sive vitæ commoda, exigui admodum fructus. Sed pluribus non immorabor: habetis poetas tam Græcos quam Latinos sæpe et abunde hæc vitæ mala lugentes, nec quicquam fingentes, imo nec omnia quæ vera sunt, sed e multis pauca, enumerantes.

Ποίην τοι βιότοιο τάμοις τρίβον³, &c. quod in hanc desinit clausulam:

Ἔστ' ἄρα τοῖνδε δυοῖν ἓνος αἴρεσις, ἢ τὸ γένεσθαι
μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

³ [Ita incipit vetus Posidippi sive Cratis sit Epigramma, cuius finis mox subjicitur.]

Est scilicet ex his duobus alterum eligendum, vel non omnino nasci, vel natum statim mori.

Sed omissis jam et periodis et figuris vitæ variis; percurramus brevissime maxima quæ habentur vitæ bona, et videamus, si quæ sint quæ eam plene felicem præstare possint. An corporis forma? at hæc multos reddidit infelices, felicem nullum: nam ut sit quandoque innocua, certe semper evanida est, χρόνου ἢ νόσου παίγιον, *temporis vel morbi ludicrum*. Numquid divitiæ? at quantillum ex illis possidet, etiam qui maximas possidet! quam exigua illarum parte utitur ipse et fruitur! de reliquo quid habet præter aspectum oculorum? mensam habeat variis cupediis onustam; ex omnibus unum tantum replet ventrem: centum habeat lectos; in uno tantum jacet. An summa hominum fastigia, throni et sceptræ? at ab his quam inopinata rerum catastrophe disjecti fuerint non pauci, iique non stolidi, nec imbelles, sed egregii et magni viri, testantur omnium temporum historiæ: sed et quibus nulla talis contigit infelicitas, semper tamen a felicitate abfuisse tum in aperto res est, tum ipsi de seipsis passim fassi sunt. Notum illud Augusti, Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσσαι. *Utinam cælebs essem et moriar sine sobole*. Atque illud Severi morientis, Πάντα ἐγένόμην καὶ οὐ λυσιτελεῖ. *Omnia factus sum et non proficit*. Sed omnium notissimum, et notitia quidem dignissimum, illud sapientissimi ac

florentissimi Regis et summi simul Concionatoris, qui, tantæ suæ dignitatis et opulentiae regiae computatis exactissime emolumentis omnibus, hanc totalem summam invenit, et posteris ac seculis venturis legendam exhibuit, *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.*

Verum hæc omnia de omnibus forte extra hominem bonis: at annon poterit in interioribus mentisque propriis bonis sita esse felicitas, sapientia scilicet et virtute? Detur hoc; at ut perfectam illæ dent felicitatem, ipsæ perfectæ sint necesse est: cedo autem virum, qui, vel se iudice, sapientia et virtute perfecta instructus sit; imo, qui sapientissimi hominum et habiti sunt, et fuerunt, se nihil scire professi sunt, nec fuit inter probatissimos philosophos cujus virtutibus non multi adhæserint nævi. Quod dicendum etiam de pietate et vera religione, quæ licet inchoata sit felicitas, et ad perfectam recta tendat, ipsa tamen in terris cum plena et absoluta non sit, plene felicem non facit. Contemplatio etiam mentium altissimarum obscura admodum est, et ferme cæca; virtutum autem praxis mutila et clauda. De hac quidem quis audebit tanquam perfecta gloriari, ubi magnum audierit Apostolum de lege carnis conquerentem, et tam pathetice exclamantem; *Miser ego homo! quis me liberabit a corpore isto mortis*⁴? &c. Præterea etiamsi sapientia, et virtus,

⁴ Rom. vii. 24.

vel pietas perfectæ essent, ad felicitatem tamen perfectam omnia corporis bona simul adsint necesse est, si adsit corpus. Ideo salsę ridet Satirista sapientem Stoicum: Est, inquit,

— Dives,

Liber, honoratus, pulcher, Rex denique regum,
Præcipue felix, nisi cum pituita molesta est⁵.

Hæc cum ita sint, altius elevandæ sunt mentes, nec obstipo capite vivendum cum hominum vulgo, qui, ut inquit S. Augustinus, *beatam vitam quærunt in regione mortis*: terrenis et perituris missellæ hujus vitæ bonis animum adjicere, et voluptatum cœno se immergere, non est humana sed porcina felicitas; et si voluptas lutum est, reliqua fumus. Et si hoc tantum esset expectandum et expetendum homini bonum, non tanti quidem esset natum fuisse. Moniti sitis, ingenui Adolescentes, et cavete vobis a Circeo hoc poculo, ne obbrutescant animi vestri, et in originis suæ ac finis lethæam oblivionem incidant; sed quod in vobis divinum est, ad Conditorem et Patrem Deum convertite, sine quo nec beati esse, nec esse possumus.

⁵ Hor. Ep. I.

PRÆLECTIO QUINTA.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

MULTA sunt, quæ occupatum tenent humanum genus, negotia, vel nugamenta potius; talia enim dicenda sunt etiam quæ habentur maxima, si cum hoc uno conferantur, ut sibi vacet, se cognoscat, rebusque vere suis consulat; quod qui faciunt quam pauci sunt! Definitis vos communiter hominem *Animal rationale*: et plerisque certe hominum re ipsa non convenit, nisi potentia, eaque satis remota, intelligatur; puerulis quidem plerumque sunt ineptiores, tricas et crepitacula sectantur, huc atque illuc discurrunt, et se fatigant satis, sed nihil agentes.

O! quam mirum est animas origine cœlestes adeo patriæ suæ oblitæ, carnique et luto immeras esse, ut tam rari inter homines sint, qui sæpius cum seipsis de seipsis ratiocinentur, de ortu et fine suo cogitantes, et hoc sedulo inquirentes;

ὅττι¹ τοι ἀνθρώποισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται·
Quod hominibus paratum sit et malum et bonum;

¹ [Edd. ὅτι. Versus autem ex Hom. Odyss. Δ. 392. convertitur: ὅττι τοι ἐν μεγάροισι—.]

et, examine facto, consultissimum ducunt², et in hoc unum animos intendunt², ut calcatis terrenis omnibus, ad divina et æterna aspirent. Nos autem in illam penitus transituros sententiam, si quæ dicta sunt serio recogitemus, persuasissimum habeo. Si enim detur necessario plenum aliquod, satians scilicet et permanens, hominis bonum, tale autem nihil vel in terrenis, vel omnino in terris, reperiatur; ulterius progrediendum est, et bonum illud alibi quærendum; atque ideo non extingui morte totum hominem, sed alio migrare, animasque humanas immortales esse, omnino statuendum.

Multa sunt quæ a multis adhibentur ad hanc conclusionem confirmandam argumenta, alia quidem solida, alia vero, ut libere dicam, subtilia nimis et minus valida, æque scilicet obscura, et negatu facilia, et probatu difficilia, ac ipsa, ad quam probandam afferuntur, conclusio.

Qui ab animæ natura incorporea, ejusque immissione in corpus, argumentantur, itemque a modo operandi, quod nimirum nulli organo alligetur; hæc quidem ultro concedenti facile, quod inferre volunt, persuadere poterunt: at si quis ista pertinacius negaverit, vel etiam de iis dubitaverit, operosius paulo erit rationibus claris et cogentibus hypotheses illas suffulcire. Certe si animæ hu-

² [Rectius ducant, intendant.]

manæ sua ipsius bene cognita esset et perspecta natura, suumque modum inhærendi corpori inque eo operandi pervestigare posset, hæc et hujusmodi alia immortalitatis suæ argumenta posse illam inde depromere non dubitamus. Verum cum tenebrosi corporis carceri inclusa, sibi ipsi tam ignota et ἀκατάληπτος sit, vultumque suum in tanta caligine tantillum et vix omnino cernere et contemplari possit, perdifficile ei est de interiori sua natura multa affirmare, et operationis suæ modos subtilius definire. Operationes autem ipsas, nobiliores præcipue et diviniore illas, quas exerit, tum naturalis præcellentiæ tum immortalitatis ipsius conspicua τεκμήρια et magnos characteres esse, mirum sane est, si quisquam inficiari possit.

Esse in homine, præter vitam et sensum spiritumque animale, quem cum brutis commune habet, altius quid et purius, Deoque propinquius, manifestissimum est. Dedit Deus hisce *animam, nobis animum quoque*; et distinctius quidem loquendo, spiritus ille homini proprius, et quo supra omnia animalia attollitur, animus potius dicendus est, quam anima. Utcunque miris suis dotibus, et secundum illas, operibus, artificiisque, et inventis, dici vix potest, quam immensum præfulget humana mens. Talia enim tantaque efficit, quæ bruta etiam sagacissima nec imitari, nec omnino intelligere, nedum invenire possunt: imo homo, tanquam omnium dominus et rex, reliquorum animantium

vires et industriam, licet eorum plerisque ipse corpore tanto minor et imbecillior, herbarum insuper et plantarum omnium virtutes, omnes denique aspectabilis hujus orbis partes, ad usus vitæ suæ miris modis flectit et accommodat: tum demum urbes ædificat, respublicas instituit, leges fert, exercitus ducit, classes instruit, nec terras solum metitur, sed et cœlos, motus siderum investigat, eclipses in multos annos prædicit, cogitationes suas levissimo momento in longinquum mittit, terras et urbes remotissimas invisere, imo supra solem et stellas omnes et cœlos evagari jubet.

Sed parva sunt hæc omnia, et ad institutum nostrum parum firma, præ hac una et incomparabili humanæ mentis dignitate, quod scilicet religionis capax sit, imo indelebili ejus caractere naturaliter insignita. Deum nempe agnoscit et colit, templa extruit, sacrificiis et precibus et laudibus superexcelsam ejus majestatem celebrat, ab illius benignitate pendet, opemque implorat, et sic commercia cum cœlo ambit. Imo et, quod illam cœlo ortam maxime testatur, reditum in cœlum sperat. Atque hoc, meo quidem judicio, magnum est immortalitatis argumentum, illa ipsa immortalitatis prænotio, et spes, et ingens desiderium. Quod licet in plerisque sub corporis sarcina, rerumque præsentium nimio amore, suppressum et pæne extinctum jaceat, subinde tamen in adversis, præsertim autem pre-

mente morbo, et morte ingruente, sese exerit et erumpit. Quibus autem purior est mens et in divinis sensus exercitior, O! quam perpetuis et ardentibus votis ad beatam illam immortalitatem aspirant, quam sæpe in illis conqueritur anima, *prolongatum esse incolatum suum*; gliscit, ambit, eluctatur exul frui patria. Quin et magnificum illud corporis et sensuum fastidium, omniumque voluptatum carnis contemptus, in quem cœlestes illæ animæ eriguntur, annon aperte clamat, inde ad breve tempus colligentur? longe tamen diversam esse et pæne contrariam corporis animæque naturam, atque adeo disparem esse et divisam durationem: animamque corpori solutam, non tantum non mori, sed et tum primum vivere, et tanquam exutis secandis, in lucem nasci. Et nisi nos spes illa fulciret, O! quam lugenda esset prior illa nativitas, quæ nos in vitam tam brevem, tam vacuum boni, et tot miseriis refertam immisit, quam totam, pictas felicitates aucupando, et veras calamitates perferendo, transigimus; ultra quam nisi daretur verior et vita et felicitas, quis est qui non videat, inter omnia animantia hominem, et inter omnes homines optimos quosque miserrimos fore?

Etsi enim inter magna quidem et præcipua religionis fulcra ac bases immortalitatis fidem cordatus nemo est qui non habeat, raræ forte aliquæ, sublimesque, et plane divinæ inveniri possint ani-

mæ, quæ puram ac nobilem religionis semitam propter se eligerent, eique continenter insisterent, et præ illius amore durissima quæque, si id contingat, pati non detrectarent; Christianorum tamen vulgus, quantumvis intus et in corde imo fidelium, et vere Christianorum, longe infra illud fastigium subsidere non est diffitendum, et vix ac ne vix quidem virtutem religionemque amplexurum, *præmia si tollas*. Quo spectare puto Paulinum illud, *Si in hac tantummodo vita spes nobis in Christo foret, essemus utique mortalium omnium miserrimi*¹. Et ille quidem non animæ separatæ immortalitatem, sed, quod affine et omnino connexum est, corporis resuscitationem hoc firmat argumento. Adjecta enim est illa instauratio magna, velut ex superabundanti et immensa beneplaciti divini munificentia, quo non solum hominis pars potior ac divinius, quæ seorsim in reditu ad fontem suum perbeatam agere posset ac perennem vitam, sed et corpusculum hoc terrenum, velut animæ *fidus Achates*, et laborum in terris comes individuus, in cœlestis æternæque felicitatis partem ac *κοινωνίαν* recipiatur; atque sic quidem, secundum Domini nostri dictum, habeat sibi et in sinum suum fidelis anima *mensuram bonam, pressam, agitatum, et superfluentem*².

Fides nostra de hac immortalitate revelationi divinæ in solidum innitatur, et tum demum, quasi

¹ 1 Cor. xv. 19.

² Luc. vi. 38.

terra in aggerem congesta, exterius sese etiam ratione communiat: quæ quidem in hac parte tanta est, tantæque evidentia, quantam res ipsa capere possit. Demonstrationem autem si quis hic pollicetur, certe μέγα λίαν τὸ ἐπιχείρημα: si ab alio expectet expectatve, μέγα λίαν τὸ αἴτημα. Paucissimæ quidem sunt in omni philosophia, Mathematicam si exceperis, vere et κυρίως sic dictæ, demonstrationes; imo forte, rem penitus exploranti, nullæ comperientur nisi leviculæ quædam et steriles, ad exempli supplendam vicem adductæ, vel potius confictæ: quale illud decantatum, *omne rationale est risibile*; quod quidem ipsum risibile est, id est, genuino illius epitheti significato, ridiculum: imo ex ipsis mathematicis pleræque, si ad normam ideamque Aristotelicæ ἀποδείξεως exigantur, spuria et nothæ pronunciandæ erunt. Sed prudens et magni usus illud philosophi effatum, οὐκ ἐν πᾶσιν ἀποδείξεις αἰτητέον, ἀλλ' ἐφ' ὅσον δέχεται τὸ ὑποκειμενον. *Non in omnibus quærendæ sunt demonstrationes, sed in quantum admittit argumentum.* At certe, si nobis perspecta esset animæ essentia, aut etiam proprius ejus in corpore operandi modus, admodum verisimile est, exinde enasci posse hujus, quam asserimus, immortalitatis demonstrationes evidentes prorsus atque irrefragabiles. Sed quamdiu seipsam ignorat, his quidem supersedendum.

Egregius autem ille est, quem diximus, divi-

nioris auræ character, inexplebilis scilicet animæ sitis, impuris ac turbidis cujusquam vel etiam omnimodi simul terreni boni laticibus nunquam sedanda. Perennem boni fontem sitit; secundum illud Psalmi, *Quemadmodum ad aquarum rivos glocitat cervus*³: invisibile, incorporeum, immortale bonum sitit, quo ut fruatur, non solum corporis ministerio tanquam prorsus necessario non indiget, sed et eo, quale nunc est, sese velut intergerino pariete interclusam ac præpeditam sentit, et ingemiscit. Quæ autem animæ πάθος hoc omnino non sentiunt, næ illæ in corpore velut immundæ suis in artubus sepultæ: nec tamen appetitum illum, quem dicimus, adeo prorsus exuerunt, aut exuere omnino possunt, quin illum vel maturius intra corpus experrectæ, vel sero tandem ac misere e corpore expulsæ, persensuræ sint. De vera autem et genuina animi natura, non ex degenerum et vilium hominum socordia ac torpore, sed ex optimorum quorumque sapientissimorum sensu votisque vividis, sententiam omnino ferendam esse, nemo est, ut opinor, qui negare possit.


Hæc quidem de anima superstitie et vita futura sententia, non solum nihil in se habet aut impossibile aut absurdi, sed et omnia sanæ rationi, et sapientiæ, et virtuti, et œconomix divinæ, et votis humanis consentanea: unde illam optimo jure ple-

³ Psalm xlii. 1.

ræque gentes integræ, et omnium gentium ac temporum sapientissimi quique, libenter et læte amplexi sunt. Et licet illam non potuerint inexpugnabili aliqua ratione asserere, aliquid tamen senserunt intra se et in animis suis huic dogmati *σύμφυες*, et pulcherrimum semper ac fide dignissimum habuerunt. *Me nemo*, inquit Atticus apud Ciceronem, *de immortalitate depellet*. Et Sen. Epist. 102. *Juvabat de æternitate animarum quærere, imo me hercule credere: dabam me spei tantæ; jam enim reliquias infractæ ætatis contemnebam, in immensum illud tempus et in possessionem omnis ævi transiturus. O quantum lucratur anima migrando!*

Vos autem thesin hanc, non tantum ut rationi congruam, sed ut fide Christiana receptam, amplecti non dubito. Hoc tantum moneo, ut sæpe et serio vobiscum animo revolvatis: maximum enim erit ad sapientiam, et bonos mores, et veram pietatem incitamentum; nec cogitari potest quicquam, quod a stolidi rerum præsentium et prætereuntium admiratione, et a terreni hujus corporis illecebris sordidisque voluptatibus, efficacius avocabit. Reputate, quæso, vobiscum, quam indignum sit cœlestem animam æternumque victuram rebus infimis et vilissimis mancipare, et tanquam principem a patria sua ad tempus exulantem in culinam detrudere. Pathetice S. Bernardus corpus in animæ gratiam alloquitur, et ut illam honorifice tractet, non solum per animæ dignitatem, sed et per ipsius

corporis inde redituram utilitatem, suadet. *Nobilem*, inquit, *hospitem habes, O caro! Nobilem valde, et tota tua salus de ejus salute pendet; omnino enim memor erit tui in bonum, si bene servieris illi; et cum pervenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, et veniet ipse Dominus virtutum, et te vile corpus configurabit corpori suo glorioso: qui ad animas redimendas humilis ante venerat et occultus, pro te glorificanda, O misera caro, sublimis veniet et manifestus. Memores itaque sitis, O Juvenes, partis illius dignioris, eaque ad suam æternitatem cogitandam assuescat, αἰεὶ τε παντῆ πρὸς τὸ σύγγενες βλέπειν, *semper et ubique ad cognatum aspicere. Et sic quæcunque in terris superba et elata videntur, sub pedibus cernet, et e sublimi despiciet, et inter omnia, quæ brevis hujus ævi spatiolo terminantur, nil cupiet, nil timebit.**



PRÆLECTIO SEXTA.



DE VITÆ FUTURÆ FELICITATE.

INTER omnes hominum cogitationes, nulla est proculdubio quæ menti seriæ et secum habitanti sæpius recurrit, quam illa, cui reliquæ omnes subserviunt et ministrant; de omnium scilicet laborum et curarum, ipsiusque adeo vitæ, scopo fineque ultimo et optatissimo. Eoque acrius et urgentius mentem exagitabit hæc cogitatio, quo illa ad miseræ hujus vitæ cruciatus veros, spesque vanas, et falsa gaudia observanda perspicacior fuerit; cui quidem lugendæ nullæ elegiæ, nulli threni pares esse poterunt; risus autem et lætitia inter tot dolores et metus pro amentia habenda est: sic visum est regum sapientissimo; *De risu*, inquit, *dixi, insanus est; et de lætitia, ecquid facis*¹? Querelas autem tristes, quas grave malorum pondus viris etiam magnis et sanctis expressit, non est quod nimis miremur, imo mirum potius si non et nos ad illas sæpe repetendas alliciant.

Extra se circumspicienti quam frequenter oculis occurrunt vel patriæ calamitates, vel parentum aut amicorum casus adversi et tristes, quos passim vel

¹ Eccl. ii. 2.

pauperie depressos, vel morbis languidis tabescentes, vel acrioribus cruciatos, vel morte abreptos lugemus, ipsi pariter ab aliis mox lugendi; imo, quam sæpe ipsi nobismet ipsis graves sumus, et sub propriis malis arctius insidentibus, vel re familiari, vel corpore, vel animo laborantes et ægri ingemiscimus: quicumque autem paucissimis et minimis vitæ incommodis urgeri videntur, et felicitatis undique nitentis splendore intuentium oculos perstringunt; præterquam quod maximas illi persæpe intus et in jecore ægro latentes molestias et curas patiantur, illa ipsa, quam exterius ostentant, fucata felicitas, quam incerta, et infirma, et vitrea est, et quam facile, etiam cum maxime splendet, frangitur: vere quidam, *Alia*, inquit, *felicitate ad illam felicitatem tuendam opus est*. Si qui autem sunt quibus adversus omnes exteriorum rerum formas et species obfirmata mens est, et [qui²] seculi hujus omnia, tam quæ aspectu torva sunt, quam³ quæ jucunda, ex æquo contemnunt, nec sic tamen felices vel sunt, vel sese putant: habent adhuc quod doleant, densas scilicet mentis tenebras, et cœlestium ignorantiam, nec non carnis et affectuum nondum penitus subjugatam contumaciam. Et hi certe, licet humani generis longe dignissima et pulcherrima pars, nisi tamen beata illa spes brevi in lucem exeundi afflisset, quanto animi terreno huic gurgustio inclusi

² [*Qui de meo supplevi.*]

³ [Edd. *quem.*]

angustias et mala altius sentiunt, tanto reliquis hominibus miseriores forent.

Quoties itaque hæc nobiscum reputamus, in hoc unum res tota revolvitur, ἔστιν ἄρα τὸ τέλος datur sine dubio finis aliquis naturæ humanæ congruus, eaque dignus; bonum aliquod proprium, permanens, et plenum, quod cum inter breve hujus vitæ curriculum, interque tam densas, quibus tota referta est, miserias, frustra quærat, certe regio aliqua fertilior, et vita diuturnior, quæ et felicitatem nostram capiat, et nos hinc migrantes excipiat, necessario asserenda est: non est hic requies nostra, nec, ubi sedeamus, datur; locus est pulicum et culicum, et in inferioribus hisce et perituris indagantes non solum beatitudinem non attingimus, sed nec miseriam effugimus, cujus catervis undique obsessi cingimur, adeo ut illud egregii illius artificis insulæ inclusi vere dicamus:

Nec tellus nostræ, nec patet unda fugæ:
Restat iter cœli; cœlo tentabimus ire⁴.

Atque hucusque gradatim progressi sumus, et nuperrime de animæ immortalitate verba fecimus, habitaculi etiam corporei reparationem tanquam laciniam attexentes. Reliquum est ut, quænam illa sit vitæ futuræ felicitas, inquiremus.

⁴ [Edd. *iter*.]

Ab hac tamen inquisitione pæne me absterrere fateor summam rei obscuritatem et sublimitatem; quam quidem, qualis in se est, nec intelligere nobis, nec si intellexerimus, explicare fas est; de qua quæ divinus Apostolus in extasi libaverat, non aliter quam silendo refert; ἄρρητα vocans ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι⁵ ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui: quod si ille ea, quæ viderat, nec voluit nec potuit effari, absit ut nos in ea, quæ non vidimus, irrumpere et nosmet ingerere audeamus; quod temerarios quosdã facere, idem alibi in cautelam nostram monet Apostolus. Verum cum in sacris chartis novi hujus orbis, invisibilis licet et nobis incogniti, aliquas tamen habeamus pro captu nostro delineatas tabulas; illas non solum inspicere permissum est, sed, cum eo ipso fine descriptæ sint, supinæ certe et ingratae esset incuriæ neglectui habere. Meminisse tamen oportet, quantum parvæ tabellæ schema a vera regni alicujus amplitudine et pulchritudine, ejusque ἀutoψία, distet; et quanto plus discriminis intersit, necesse est, inter regni illius cœlestis, quo aspiramus, felicitatem, et terrenas omnes etiam lectissimas figuras, quæ ad illam mentibus nostris aliquatenus adumbrandam applicantur. Quænam sunt illa, quorum titulos falsos et umbras in terris tam avido et insano impetu sectamur, divitiæ, honores, voluptates? Hæc omnia vero, et

⁵ 2 Cor. xii. 4.

puro, sublimique sensu vita illa beata complectitur: thesaurus est, qui nec deficere nec eripi potest; hæreditas est ἀφθαρτος, ἀμίαντος, *incorruptibilis, impolluta*; corona ἀμαράντινος, *immarcescens*; lætitiæ et deliciarum torrens ἀένναος, *perennis*; convivium est nuptiale, omniumque lætissimum et lautissimum, semper satians, nunquam autem fastidium pariens; ver est æternum, et perpetua lux, ἡμέρα ἀνέσπερος; Paradisus est, ubi candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum, et in medio ejus est arbor vitæ; civitas est, ubi vivis margaritis surgunt ædificia, cujus portæ gemmeæ, et plateæ aurum purissimum: et hæc quidem omnia nil nisi vela sunt felicitatis illius optatissimo illo die revelandæ; imo lux ipsa quam inter reliqua numeravimus, licet aspectabilis hujus mundi pulcherrimum ornamentum, cœlestis tamen illius gloriæ umbra tantum est; quantulumcunque⁶ autem sit splendoris illius ἀπροσίτου, quod per velamina illa nobis in scripturis sacris tralucet, dignissimum certe est in quod oculos sæpius convertamus, iisque intentissime fixis contemplemur.

1. Primum autem, quod in felicitate constituenda necessario occurrit, hoc est, plenissima ab omni malo et gravamine⁷ liberatio: quæ quidem quam hic degentibus impossibilis, tam certo in cœlesti illa vita speranda est. *Abstergentur ab oculis la-*

⁶ [Edd. *quantulumque.*]

⁷ [Edd. *gravimine.*]

crymæ omnes, et in æternum auferentur ab oculorum aspectu omnes lacrymarum causæ: illic non tumultus, non bella, non egestas, non mors, non morbi; illic nec luctus, nec metus, nec malorum omnium caput et fons, peccatum: non est irruptio, nec eruptio, nec querela ulla in plateis beatæ illius civitatis; illic nec exit amicus, nec intrat inimicus.—

2. Plena animi et corporis *εὐεξία*, sanitas, et pulchritudo, et puritas, et tranquillitas perfectissima.—

3. Jucundissima societas angelorum, et prophetarum, et apostolorum, et martyrum, et sanctorum omnium: inter quos nulla jurgia, nec lites, nec controversiæ, nec partium studium, quippe, quæ horum fontes et fomites sunt, nulla ibi ignorantia; nulla cæca *αὐθάδεια*, nec vana gloria, nec invidia; *ὁ φθόνος ἔξω τοῦ θείου χάριτος* sed caritas absolutissima, qua unusquisque simul cum sua alterius mutuo felicitate fruitur, et beatus est, illa scilicet tanquam sua collætatus; unde inter illos infinita quædam beatitudinis repercussio et multiplicatio est; qualis foret splendor aulæ auro et gemmis, pleno regum et magnatum choro, nitentis, cujus parietes speculis undique lucidissimis obtecti essent.—

4. Sed quod reliqua omnia infinitum superat et absorbet, ipsum scilicet immensum felicitatis pelagus, *Dei ipsius benedicti et superbeatissimi visio est*: sine qua, nec sua tranquillitas, nec aliorum societas, nec boni ullius finiti, vel omnium simul, possessio animam satiare et beare posset. Cujus modum tunc demum intelligemus, ubi illuc pervenerimus: interea vanis-

simæ ἀδολεσχίας est multa circa illam disputando obstrepere, et cum cerebelli nostri larvis luctari. Quod autem scholastici hanc totam felicitatem intra nudam speculationem, seu actum, ut illi loquuntur, intellectualem concludunt, audacter nimis, prout solent, faciunt, et ratione admodum invalida nituntur. Quantumvis enim summa sit et nobilissima mentis operatio, *intelligere et contemplari*; totius tamen animæ, totiusque hominis, omniumque facultatum bonum adæquatum et perfectum ad beatitudinem complendam necessarium est. Nec obstat, quod tota hæc felicitas hoc visionis nomine in scripturis passim comprehendatur. Visio enim mentis, seu contemplatio primi et infiniti boni, plenam etiam ejus fruitionem aptissime significat, vel saltem consignificat. Notum est illud Rabbiorum de sacræ scripturæ phrasi, *verba sensus connotant affectus*. *Scire* sæpius pro approbare et amare ponitur; sic *videre* est etiam frui et potiri. *Gustate et videte quod bonus sit Dominus*, Psaltes inquit; et magna quidem amantium oblectatio est hoc ipsum, una vivere, et mutuo aspectu frui. Οὐδὲν οὕτω τῶν φίλων ὡς τὸ συζῆν.

Visionem itaque illam beatificam non solum claram et intuitivam, sed et amplexivam, ut ita loquar, et unitivam Dei cognitionem significare, omnino statuendum est; talis enim visio sit necesse est, quæ amorem boni infiniti, in sanctis animis accensum, plene possessivum et voti sui compotem

reddat, easque perpetua, et exuberanti, et in æterna cantica et laudes diffluenti, lætitia perfundat.

Atque hoc unum est, si fidem adhibetis⁸, (adhibere autem vos non dubitabo,) hoc est, inquam, quo totæ in arduum rapiuntur animæ vestræ : hinc turbidas et lutasas carnis voluptates, omnesque seculi blanditias et splendidas nugas, conculcare discetis. Magna videantur ista licet et pulchra, majora et pulchriora ignorantibus; animæ certe cœlestem patriam et angelorum gaudia speranti ac cogitanti, O! quam pusilla, quam nihil sunt terrena hæc omnia, quæ falsis titulis et ementita magnitudine intumescunt. Quanto autem animus sese a corpore abducit, et in se recedit, et supra se ascendit, Deoque adhæret, tanto vitam agit in terris cœlesti illi similiorem, et beatæ⁹ illius messis primitias prægustat uberiores. Ad sanctitatem aspirate, O Juvenes, *sine qua nemo Deum videbit.*

⁸ [Edd. *adhibitis.*]

⁹ [Edd. *beata.*]



PRÆLECTIO SEPTIMA.

DE EXISTENTIA DEI.

LICET variæ admodum sunt, et non raro oppositæ, de rebus plerisque omnibus hominum sententiæ, adeo ut ab animorum potius opinionumque, quam linguarum et dialectorum discrimine ¹ μέρορες, *divisam vocem habentes*, dici mereantur; duo tamen sunt, in quibus magna est gentium ac totius generis humani symphonia, *Felicitatis* scilicet *appetitus*, et *religionis sensus*. Et illum quidem nemo est qui cupiat; hunc, licet velint forte nonnulli, non valent tamen prorsus exuere, Deumque totum pectore excutere, et religionis scintillam omnem intra se penitus extinguere. In plerisque certe felicitatis ille appetitus palabundus in tenebris oberrat; religionis autem sensus vel torpore obsitus jacet, vel in superstitionum devia deflectit. Hæc duo tamen adhibet magnus rerum opifex, quasi collapsi ædificii reliquias, ad reparandas humani generis ruinas, et vas suum fictile, in miseræ barathrum demersum, per has veluti ansas extractum restituit.

Atque de illo quidem *felicitatis*, inquam, *appetitu* alias verba fecimus; hujus autem, insitæ scilicet

¹ [Edd. *discrimina*.]

hominibus de religione *ἐννοίας*, considerationi *σὺν Θεῷ* nonnihil immorabimur.

Nec enim inutile erit, ut opinor, pauca illa secernere, in quibus tot tamque difformes variarum religionum ritus, ac dogmata dissidentia, conveniunt: nam et omnis disciplina aptissime a notioribus et universalibus orditur; et in hoc certe negotio, præter alia methodi hujus commoda, non contemnendum esse poterit vacillantis animi firmamentum, quod, inter tot religionum dissidia et rixas, magnæ saltem et necessariæ fidei nostræ bases, partim totius humani generis, in reliquis autem totius orbis Christiani, adstipulantem habeant consensum.

Idcirco pervelim animos vestros, *ἐρριζωμένους καὶ βεβαιουμένους ἐν πίστει*², *radicatos ac confirmatos fide*, suavi hoc religionis vinculo firmissime devinciri, quod, velut torques aurea, non onerat, sed ornat; non servitutis instrumentum est, sed veræ ac generosæ libertatis insigne. Nollem vos ex traditione sola, et parentum ac præceptorum auctoritate atque institutione, Christianos esse, sed ex puro interioris intellectus lumine, fervidoque animi inde promanante affectu: *Ἐν γὰρ καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἀγαθὸν ἢ εὐσέβεια*³. *Unum enim et solum inter homines bonum pietas est.* Nullos autem

² Coloss. ii. 7.

³ *Trismegist.*

speres religionis fructus, nisi ex illius radice, fide probe firmata. Πᾶσαι γὰρ ἀρεταὶ πίστεως θυγάτηρες· *Omnes enim virtutes fliæ fidei sunt*⁴.

Graium suum hominem insanis effert laudibus Lucretius, velut aliquem de cœlo delapsum mortaliū liberatorem, terrores metusque varios discutientem, eo quod religionem omnem hominum animis eximendi rationem veram adinvenisse sibi visus sit. Et nullo quidem seculo desunt belluinæ animæ, plus satis corporumque et sensuum mancipia, quæ dogmata ista vera esse optarent; paucissimi tamen sunt, qui ea ipsa, quæ aliis impudenter passim et importune ingerunt, sibi ipsis persuadeant: sed reclamante sæpius conscientia deliria sua pleno gutture deblaterant, et quæ miserrime volunt, vix ac ne vix quidem credunt. Nostis Flacci palinodiam,

Parcus Deorum cultor, et infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, &c.⁵

Omni rationis usu excidunt animæ, humana corpora incolentes, nonnullæ, ex temperiei scilicet et organorum defectu: nec tamen hominem *animal rationale* definire desinitis. Et certe qui illum, non minori forsā jure, *animal religiosum* definirēt, non est quod ex contemnendo rabidorum aliquot religionem ridentium numero, sententiæ suæ jactu-

⁴ Clemens Alexand.

⁵ Lib. I. Od. 34.

ram metuat. Nec adeo absimile, quod ex antiquis asseruere nonnulli, paucos illos, qui ⁶ inter Græcos *Athei* dicti sunt, non tam numen omne denegasse, quam fictitia et ridicula gentium numina repudiasse et merito irrisisse.

Inter omnia autem gentium jura moresque receptissimos, nullum reperitur *religione*, sacrisque alicui numini dicatis ritibus, solennius et καθολικώτερον. Quod argumento quidem validissimo est, ὑπόληψιν illam, præ omni alia, alto ac indelebili caractere humanis mentibus inscriptam, imo insculptam esse, veluti magni Conditoris nomen, opificio suo, inter visibilia omnia Coryphæo, impressum, quo se *Illius* esse et dignoscat et agnoscat; totusque in principium suum, unde manavit, immensum illum boni oceanum, refundatur, ex illa ipsa scilicet, qua insignitur, ἐπιγραφῆ, velut æquisimum decernens, τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ, *Deo quæ Dei sunt*. Et magnus quidem est ac epidemicus humani generis morbus, corporis sui et rerum corporalium amor vilis ac degener, Deique, licet animo ἀνεξάλειπτως plane inhærentis, stupida ac bruta oblivio; quam pauci admodum divina virgula excitati mature excutiunt: in reliquis autem etiam stupidissimis somnoque gravissimo sepultis, premente tamen gravi aliqua calamitate, vel imminente periculo, morte autem potissimum ingru-

⁶ [Edd. quos.]

ente, subinde emergit, et ex doloris metusve pondere exprimitur, latitans illa et diu suppressa Dei recordatio; animaque ipsa, velut ex diuturno ac profundo sopore, experrecta, circumspiciunt homines, quid rei sit, sciscitantur, et, unde venerint⁷, ac quo vadant, serio recogitant. *Tunc veras voces emittunt pectore ab imo.* Etiam profanos nautas adeo expergefecit mare procellosum, ut illi etiam Prophetam stertentem expergefecerint. *Surge, inquit, Somnolente, et invoca Deum tuum.*

Interea tamen, hoc saltem ubique exerit Dei vel debilissima notitia sui indicium; ut nullam hominum cœtum, vel hominem, invenias, qui non aliquo ritu formulisque numen aliquod agnoscat, et pro captu et more suo honorem deferat. Prodidere autem nuperi nonnulli in novo orbe, Brazilia scilicet, reperta aliquot hominum agrestium agmina, apud quos nullus omnino conspiciatur divinitatis sensus. Sed, præterquam quod dubiæ admodum fidei sit illa observatio, et temere forsitan ac præfestine a primis advenis non satis attentis arrepta, veram esse demus; non tanti tamen est, ut, reliqui totius terrarum orbis, gentiumque omnium ac seculorum, hac in re conspiranti exemplo comparata, ἡ ἐν λόγῳ, ἡ ἐν ἀριθμῶ habenda sit. Nec inde vel tantillum de magni hujus argumenti pondere detrahi suspicandum est, quo passim usi sunt, et merito quidem, omnes antiqui et neoterici ad

⁷ [Edd. *venerunt.*]

fundamenta prima et communia religionis asserenda.

Universalis autem hic religionis, de quo loquimur, conceptus, particulatim expendenti, hæc fere complectitur. 1°. DEUM esse. 2°. Colendum esse. 3°. Quod huic cohæret, Eum curare res humanas. 4°. Et quidem legem homini posuisse, eamque præmiis ac pœnis annexis communivisse; quibus itidem longe maxima ex parte rependendis, aliud ab hac terrestri vita seculum destinatum esse credunt, si non omnes, at certe quam plurimi. Atque hæc quidem licet nostri impræsentiarum instituti non tam sit propriis suis rationibus, quas habent quidem singula validissimas, suffulcire, quam velut communi hoc hominum calculo comprobata sumere; paucula tamen quam possumus breviter et perspicue ad singula subnotabimus.

1°. DEUM *esse*. Ubi primam hanc de primo Ente veritatem longa et operosa argumentorum serie asserere nitimur, vereri subit, ne ipsi DEO, nec non et hominibus, officiosam quandam injuriam facere videamur. Quorsum enim faculam soli admoveere, et illum *esse* sollicitè probare, per quem sunt omnia, et qui solus necessario est, imo audacter dicamus, qui *Solus* est; quippe ad quem reliqua nihil sunt, et nihilo minus, et per quam ex nihilo extracta sunt? Homo autem quicumque est, annon contumeliæ loco habeat, si quis illum suspi-

cetur de ejus *Esse* dubitare, sine quo de re quacunque nec dubitaret, nec omnino cogitaret, nec omnino esset? Est hæc proculdubio, si qua alia, homini innata et *συμφυεστάτη* persuasio⁸. Nec dubitat dicere Iamblicus, *Esse nostrum est DEUM cognoscere*. Et rursus, *Esse animæ, est quoddam intelligere, scilicet DEUM, unde dependet*. Nec immerito hac ex parte Platoni quis accedat; hoc enim scire non est aliud quam reminisci, cujus ubi obrepit oblivio (quod heu nimis omnibus!) tot tamen habet in seipso quasi monitores, quot membra; tot extra se, quot rerum species, quas undequaque conspicatur: quin excitat se anima torpens, et DEI pæne oblita, sibi subinde repetens, *Aspice hoc sublime candens, &c.*

Verum, quia non desunt ex illo stultorum genere plus satis, qui dicunt in corde suo, *Non esse Deum*; etsi non sic stulto respondendum sit, ut ei consimilis evadas, tamen secundum stultitiam suam respondendum ei omnino est, ne sibi sapere videatur⁹: tum insuper, quia primæ hujus veritatis oblivio scelerum in mundo omnium una scaturigo est. Denique cum et optimis quibusque hominum nec inutile prorsus nec injucundum esse possit, hoc argumentum nonnunquam recolere, et, quam solida atque inconcussa basi nitatur tota re-

⁸ *Primum visibile lux, et primum intelligibile Deus.*

⁹ [Prov. xxvi. 4, 5.]

ligionis moles, recogitare, tum de æterno boni et rerum omnium Fonte, ejusque adeo necessaria æternitate, subinde cogitare et loqui animo pio omni non possit non esse jucundissimum; de eo breviter agere non pigebit. Omissis certe pluribus ratiocinandi mediis, quæ in hoc negotio utiliter admodum adhibentur, unum tantum et alterum in medium proferemus. Sic autem disserimus.

Necesse est omnino dari aliquod Ens æternum: alioqui enim nihil unquam fuisset; cum aliquid seipsum de nihilo producere, portentosissimæ res est contradictionis. Si quid autem omnino æternum statuatur, certe mentem aliquam æternam esse, rationi maxime consentaneum est, ut proprietas nobilissima Enti nobilissimo conveniat. Imo Ens illud æternum præstantissimum tum sapientia, tum potentia, tum omni denique ratione, omnino necesse sit, cum necessario et improductum sit, et productorum causa et origo; alioqui enim de eorum productione hærebit adhuc difficultas: atque sic quidem suppeditant pro opifice suo argumenta partes universi omnes sigillatim sumptæ.

Aliud autem argumentum exhibet præclarissimum pulcherrimum ille τοῦ παντός ordo, et mutua inter se partium omnium σχέσις, *habitus*. Effectus enim hic est, et mirabilis effectus, a rebus ipsis singulis plane distinctus. Ergo est ab aliqua causa, eaque sapiente, imo sapientissima: casu enim hæc

contigisse, stolidissimæ est *ἀναιδείας, impudentiæ*, asserere velle. Ab homine autem non est, nec certe a conspirante aliquo rerum ipsarum singularum consilio et mutuo consensu, cum earum pleræque consensus omnis et consilii plane sint incapaces: erit itaque prorsus ab aliquo uno superiore; is autem est DEUS;

——— Qui lege moveri

Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
 Qui variam Phœben alieno jusserit igne
 Compleri, solemque suo ¹⁰.

Ille universi monarcha est, et monarcha quidem absolutissimus. Quis enim alius singulis rerum gradibus hanc quam habent speciem, et hos usus, assignaverit, ut sidera, nulli imperio legibusve humanis subdita, sed in sublimi posita, terræ ejusque incolis, diei et noctis vices et anni tempestates tribuendo, inservirent? Sumamus item speciem rerum sublunarium; exempli gratia, præstantissimam omnium, hominem: et videamus, qua ratione eam, qua constitutus est, formam, hanc scilicet corporis compagem, animique vim, et hunc in rerum natura gradum, et non alium, nactus fuerit. Vel certe hæc ipse elegerit, necesse est; vel ab alio, velut scenæ magistro et totius opificii architecto, definita acceperit. Ipsum elegisse nemo somniaverit. Nam vel hanc fecit electionem pri-

¹⁰ Claudian. in Rufinum.

us quam fuit, vel cum jam esse cœperit; quorum utrum sit absurdus, non facile dixeris. Reliquum itaque est, ut Conditoris optimi ac sapientissimi beneplacito hoc, quicquid est, acceptum ferat, qui terrestre hoc corpus adeo mirifice struxerit, et sui ipsius spiraculo animaverit, et in magnum hoc suum, quod conspicimus, palatium introduxerit. Ubi elucet aptissime dicta πολυποίκιλος σοφία, *multifaria sapientia*, in tota machina, singulisque ejus partibus, οὕτω θαυμαστῶς πεποικιλμένοις, *tam mirifice variegatis*.

Ad prius illud argumentum ab ipso rerum *Esse* desumptum, adhiberi potest eadem hominis instantia. Infinita etenim series generationis ab æterno supponenda est, nisi primus aliquis fuerit productus; et sic dicetur genus humanum esse independens et a seipso, cum tamen ab æterno omnes homines, eoque totum genus ab alio esse, ista hypothesis statuatur.

O! immensa opifex rerum, Sapientia! dextræ
Divitias artemque tuæ miremur in ævum;

sæpius ac attentius intuentes, et intuendo subinde, cum divino Psalte exclamantes, *Domine, quam multifaria sunt opera tua! in sapientia omnia condidisti, et repleta est terra divitiis tuis*¹¹. *Ab æterno in æternum Tu DEUS es, et præter Te*

¹¹ Psalm civ. 24.

*non est alius*¹². Ὁ πάντων πατήρ, ὁ νοῦς, ὦν ζωὴ καὶ φῶς, ἀπέκύνθη ἀνθρώπων, οὐ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου. Πάσης φύσεως κτίστης, ὁ πῆξας τὴν γῆν, καὶ οὐρανὸν κρεμάσας, καὶ ἐπιτάξας τὸ γλυκὺ ὕδωρ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὠκεανοῦ ὑπάρχειν, ὑμνωμέν σε τὸ πᾶν, καὶ τὸ ἐν, σοῦ γὰρ βουλουμένου πάντα τελεῖται. *Pater omnium, intellectus, vita et fulgor existens, hominem sibi similem procreavit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est. Omnis naturæ creator, terrarum distributor, coelum æquilibrans, jubens ex oceano aquam undique fluere, laudamas te, qui summus es, et unus; te enim volente omnia perficiuntur*¹³. Idem asserit *Deum humida*, ut loquitur, *natura priorem*.

Frustra autem evadere se putat quisquam, Dei loco Naturam substituendo seriei hujus ac ordinis principium. Vel enim per Naturam dicere vult individuum cujusque rei structuram et compositionem; atque hoc ad illud, de quo nunc agitur, esset nihil plane dicere; cum in aperto sit, Naturam illam multiplicem, et in plerisque rationis omnis expertem, ornatus hujus atque ordinis in toto systemate conspicui causam esse non posse: vel Naturam dicit universalem, intelligentem, et disponentem ac ordinantem omnia; id autem, mutato tantum nomine, DEUS est: quem omnia permeare et replere, velut Naturam mentemque infinitam,

¹² Psalm xc. 2.

¹³ Herm.

sacro sensu dicamus. Non quidem ut formam informantem, ut loquuntur in scholis, ac veluti compositi totius partem; quo certe figmento nihil ineptius: sic enim viatorum omnium, et vilissimi cujusque animalculi, imo stipitum, lapidum, et glebarum terræ, pars esset: sed Naturam impermistam, puram, separatam, omnia liberrime ac sapientissime ordinantem, gubernantem, ac indefessa omnipotentia sustententem; hoc autem significato *Naturam* nominans, DEUM dicis. Egregie de hoc Seneca: *Quocunque te flexeris, ibi DEUM vides occurrentem tibi; nihil ab illo vacat; opus suum ipse implet: ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas DEO debere, sed Naturæ, quia idem utrumque est officium. Si quid a Seneca accepisses, et Annæo te diceres debere, vel Lucio, non creditorem mutares, sed nomen, quoniam sive prænomen ejus dicas, sive nomen, sive cognomen, idem tamen ipse est*¹⁴.

Universali huic summe necessario de DEO conceptui consequentissimum est, illum *unum* asserere. Ens enim summum, primum, unice necessarium, atque infinite perfectum, quæ omnia, Deum qui vel nominant, sese velle intelligunt, non potest esse nisi *unum*. Imo nec ipsa vulgaris gentium πολυθεότης eo usque invaluit, quin unum supremum, absolute principem, et κατ' ἐξοχήν DEUM, agnos-

¹⁴ Lib. IV. De Benef.

cerent omnes, Optimum, Maximum, *πατέρα τῶν ἀνδρῶν τε θεῶν τε, Patrem et virorum et Deorum*. A quo uno reliqui habent omnes, tum quod sint, quicquid sunt, tum quod, inclinato vocis sensu, Dii dicantur. De DEI autem unitate, clarissima sunt et frequentissima scriptorum gentilium, omne genus, testimonia. Egregium est illud Sophoclis,

*Εἰς ταῖς ἀληθείαισιν, εἰς ἔστιν Θεός,
Ὅς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνεμῶν βίας¹⁵.*

Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Cæli solique machinam qui condidit,
Vadumque ponti cæruleum, et vim spiritus.

Quod autem huic apici connexum est, Sacrosanctæ *Τριάδος* mysterium, ego semper humillima fide ac reverentia amplexandum atque adorandum, nullatenus autem scrutandum, aut importunis scholasticorum quæstiunculis exagitandum judicavi. Fastuosa scientiæ ambitione cecidimus, et simplice fide resurgimus ac restituimur; et hoc quidem, si quod aliud mysterium, nobis in carne mortali degentibus vetita esse scientiæ arbor videtur. Subtilissimum autem illud mysterium, licet in veteri canone obscurius adumbratum, potius quam patefactum sit; antiquissimis tamen et celeberrimis inter Judæos doctoribus nec incognitum erat, nec

¹⁵ [Quod tamen Sophocli merito abjudicat Bentl. Ep. ad Mill. p. 11.]

inconfessum, quicquid præfracte obtendunt recentiores. Imo expressim Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum in Cabalistarum libris agnosci, observarunt viri docti, et mira ex libro *Zohar*, qui *R. Simeoni Ben. Joch.* tribuitur, aliisque eorum scriptis, in hanc sententiam producunt. Imo prædictus liber, ubi de tribus in una essentia multa disseruit, *Hoc arcanum*, inquit, *non revelabitur unicuique, quousque venerit Messias.* Præterea quæ de nomine 12 litterarum, alteroque adhuc explicatori 42 litterarum, traduntur, velut sanctissimi nominis, quod *Hammephorash* vocabant, fusiolem expositionem exhibentibus¹⁶.

Nec vero absimile est, mysterii hujus crepusculum saltem aliquod ad exoticarum etiam gentium philosophos pertigisse. Sunt qui Anaxagoram per suum νοῦν, nihil aliud quam Filium, seu sapientiam mundi opificem, intellexisse, indicibus non obscuris comprobare sibi videntur; sed clariora sunt illa, quæ apud Platonicos passim invenias, *περὶ τριῶν ἐξ ἑνὸς ὑποστάντων* omnes autem illi vocant τὸ αὐτὸ ὄν, τὸν δημιουργόν, seu νοῦν, καὶ τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν. Mira autem illa Hermetis Ægyptii, ὁ νοῦς Θεὸς ἀπεκύησε λόγῳ ἕτερον νοῦν δημιουργόν· ἀλλ' οὐ δίστανται ἀπ' ἀλλήλων, ἔνωσις γὰρ τούτων ἐστὶν ἡ ζωὴ. *Mens Deus cum Verbo*

¹⁶ *Maim. Mor. Nev. part. i. c. 16.* שמפורה.

suo mentem alteram opificem peperit; neque enim distant ab invicem, horum enim unio est vita.

Sed quod jam urgemus hoc est, supremi illius eoque unici rerum omnium principii absoluta plane necessitas, ejusdemque pro perspicua illa et ineluctabili necessitate conspirans inter homines confessio. Hic est quem admiramur, quem colimus, quemque unice amamus, aut certe amare super omnia gestimus; quem nec verbo eloqui, nec animo concipere fas est; quanto autem minus id fas est, tanto magis et humillime adorare et fervidissime diligere necesse est.



PRÆLECTIO OCTAVA.



DE DEI CULTU, PROVIDENTIA, AC LEGE HOMINI IMPOSITA.

LICET primæ hujus veritatis argumenta, quæ universalis humani consensus fulcra sunt, non omnino inobservata præterire visum sit; scopus tamen, quem potissimum mihi proposui, is erat, consensum illum ejusque vim et usum pensitare; vestrasque ad illius contemplationem mentes ab infinitis in religione dissidiis, tanquam in regionem pacatiorum, evocare, et hoc unum suadere, (utinam et persuadere detur!) plus inesse ponderis huic in magnis aliquot principiis harmoniæ et consensui ad animos in religionis summa firmandos, quam innumeræ illæ in reliquis rixæ vim habere debeant ad pietatem nostram et fidem vel tantillum concutiendam.

Consequens itaque est, ut reliqua consensus illius axiomata breviter ob oculos vobis ponamus. Cum autem primum fuerit, *Esse aliquod unum æternum rerum principium*; hinc proprium et congruentissimum est, *Numen illud cultu aliquo honorandum*; et continuo nexu adhæret etiam illud, *Esse Providentiam*; seu, **DEUM mundum hunc,**

quem condidit, et humanum genus, a quo colendus est et colitur, non omnino despectui et neglectui habere, sed oculatissima regere sapientia.

Cultum aliquem agnoscunt omnes et DEO debitum, et rem apprime homine dignam esse; omniumque animis insedit, quod perspicue et breviter elocutus est Lactantius, DEUM *nosse, sapientia; colere, justitia.*

In cultu alia sunt quidem naturalia, eaque apud omnes usitatiora, *vota, et preces, hymni, et laudes*, nec non et *gestus aliqui corporis* ad venerationem significandam aptissimi. Reliqui ritus fere sunt vel divinitus instituti, vel humanitus adinventi; inter quos sacrificiorum usus apud omnes gentes latissime se olim diffuderat, et etiamnum in plerisque obtinet.

Est quidem propter seipsum tanta majestas meritissime honoranda et laudibus efferenda: ni tamen persuasum haberent homines, quæ DEO offerunt honoris indicia, illi et cognita et grata esse, etiam hac ex parte omnis pietas humana frigeret certe ilico atque evanesceret; preces autem et vota, quibus auxilium divinum, aut boni quicquid *θεόσδοτον*, postulant, Deo, preces neutiquam audienti nec omnino curanti, offerre summæ esset dementiæ. Nec in hunc furorem consensissent omnes gentes, alloquendi surda numina.

Idcirco posita religione aliqua, seu cultu divino, continuo sequitur, et *esse Providentiam*. Hanc certe agnoverunt olim, et usque agnoscunt, plerique omnes orbis terrarum populi et philosophorum celeberrimi. Non defuere quidem homines nonnulli et integræ sectæ, quæ illam inficias iverint. Alii, aliquam agnoscentes, intra cœlestia tamen eam concluderunt, ut Aristoteles *de Mundo*; quam quidem merito elevat Nazianzenus *μικρόλογον πρόνοιαν* vocans. Alii sublunaribus ei aliquem tribuere locum, sed universalibus tantum. Alii rectissime ad omnia, etiam minutissima, eam agnoverunt. *Opus suum ipse implet; nec solum præest, sed inest*. Quin et si machinæ hujus rerumque omnium originem ad Deum referamus, perabsurdum erit, et pessime cohærebit, ejus sustentationem et gubernationem illi detrahare; cum et hoc eum præstare posse ambigendum non sit, cum et potentissimus et sapientissimus sit; et velle, cum sit optimus. Aurea sunt Epicteti verba: Πέμπτοι δ', ὧν ἦν καὶ Ὀδυσσεὺς καὶ Σωκράτης, οἱ λέγοντες, ὅτι οὐδὲ σὲ λήθω κινούμενος¹. *Quinti, quorum fuere et Ulysses et Socrates, qui asserant, se clam Deo ne movere quidem posse: et egregie cap. 16. Εἰ μὲν ἀηδῶν ἤμην, ἐποίουν τὰ τῆς ἀηδόνης· εἰ κύκνος, τὰ τοῦ κύκνου· νῦν δὲ λογικός εἰμι, ὑμνεῖν με δεῖ τὸν Θεόν· Quod si lusciniæ essem, lusciniæ officio fungerer; si olor, oloris: nunc*

¹ Arrian. Lib. I. Cap. 12. Περὶ Θεῶν, &c.

rationis cum particeps sim, Deus mihi celebrandus est.

Supervacuum est ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse; et, quæ casus incitat, sæpe turbari et cito arietare; hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio. ² Magnum certe est miraculum simpliciter nosse totam varia, non tantum singulas urbes, sed et provincias et regna, totam denique terram, et omnes myriadas huic globo inambulantes, eorumque omnium cogitationes omnes; utriusque etiam hemispherii, totius globi, uno instanti et intuitu πάντ' ἐφορᾶν, καὶ πάντ' ἐπακούειν, *omnia cernere, et omnia audire*: quanto majus hæc omnia simul eodem velut oculi nictu regere!

O! qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes; stabilisque manens das cuncta moveri³, &c.

ὦ Πάτερ, ὦ μέγα θαῦμα, &c.

Magnum etiam est solatium ad hanc semper intus impressam fiduciam posse recurrere, mediis in turbis, publicis, privatis, extra et intra, “ Rex

² Ps. xxxiii. 9, 10, 14, 15. Is. xl. 12, et xlv. 7. Job xxxvii. et xxxviii. Ps. cxiii. 6. cxxi. 7, 8. Matth. x. 29, 30.

³ Boeth. de Cons. Philosoph. lib. III. metr. 9.

supremus, qui et Pater meus est, hæc omnia gubernat, et apud ipsum segura sunt omnia ;” cum Moyse, ubi nullus patet exitus, subsistere, et vere θεὸν ἀπὸ μηχανῆς; salutem Domini cœlitus occurrentem, prospectare ; et in omni angustia, atque conclamata humani subsidii desperatione, insigne illud Patris fidelium animo habere infixum, *Deus providebit*. Nihil denique est, quod cor humanum, et animi intimos recessus, totamque adeo vitæ rationem ad purissimam religionis ac pietatis normam accuratius componat, quam hoc unum et firme credere, et subinde recogitare. Certe qui, quicquid molitur aut gerit, præsentem summum hunc ac sapientissimum Dominum conspicatur, non egebit imaginario Lælii alicujus, aut Catonis, præsentis et inspicientis figmento. Hanc pietatis in Abele radicem assignat Josephus. Πᾶσιν, inquit, τοῖς ὑφ’ αὐτοῦ πραττομένοις παρῆναι τὸν Θεὸν νομίζων, ἀρετῆς προνοεῖτο⁴; *in omnibus actionibus suis præsentem Deum ratus, virtuti operam dabat*.

Illam porro, de qua loquimur, Providentiæ divinæ humanis in rebus œconomiam, hac ipsa re agnoscunt gentes, in moribus scilicet hominum dignoscendis, præmiisque ac pœnis tribuendis, versari. Hoc autem legem aliquam seu canonem supponit, vel cœlitus traditum, vel cordibus insculptum, cui boni et mali moralis, virtutis scilicet

⁴ Antiquit. lib. 1. c. 3.

ac vitii, ratio iudiciumque innitatur. Non est itaque homo ζῶον ἄνομον, sed legis capax, et reipsa sub lege natus, quod et ipse fatetur ultro. *In regno nati sumus*, inquit Philosophus Rabbinicus; *DEO parere, libertas*.

Hanc autem adeo perspicuam, ac sua luce claram; doctrinam una videtur nubes nonnihil obscurare: læti scilicet impiorum ut plurimum successus, et virtus pietasque non raro insigniter infelix et calamitosa. Nota illa Bruti vox, ὦ τλήμων ἀρετῆ, ὡς οὐδέεν, &c. et versus illi poetæ elegantissimi, intestinum animi super hac re vacillantis duellum graphice depingentes:

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, &c.——
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi
————— hinc omnia rebar
Consilio firmata Dei, &c.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, &c.⁵

Sed ut alia multa omittamus, quæ in hujusce rei apologiam protulit etiam ethnica philosophia; unum est maximi ponderis toti huic præjudicio aggerendum, præfestinam⁶ esse impotentis animi temeritatem de rebus nondum perfectis et ad exitum perductis ferre sententiam; quod et Romanus Stoicus et Philosophus Chæronensis, in hoc ipso

⁵ Claudian. *in* Rufinum, lib. 1.

⁶ [Edd. *præfestinum*.]

negotio, pluribus urgent. Si ab eventu res judicare volumus, differamus saltem et suspendamus sententiam, usque dum tota eventuum series in conspectu prodeat; nec de prospero tyranno iudicium faciamus, dum sollemnis ejus triumphus oculis obversatur, ignari prorsus cum simus, quæ sors vel ipsum, vel ipsius filium, vel seros saltem maneat nepotes. Miræ sunt divinæ justitiæ semitæ;

——— σίγα καὶ βραδεῖ ποδὶ
στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχη'

——— Tacite et lento pede
Incedens tandem malos assequetur pœna.

Sed quid hæc, si expectamus aliam rerum scenam, non hic sed in futuro seculo exhibendam? in nihilum illico abit tota hæc de brevis hujus ævi eventibus disputatio. Quin et de isto, licet non usquequaque absolutus et universalis, permagnus tamen est, et magni habendus, tum sapientium, tum populorum et gentium consensus.

Hæc autem quæ diximus axiomata, quemadmodum in unice vera Christiana religione et clarius docentur, et firmiter creduntur omnia; alias insuper habet illa κυρίας δόξας hisce adjunctas, et arcissimo nexu colligatas, et totum orbem Christianum, licet aliis apicibus disputandis plus satis divisum, unanimes tamen eatenus et indivulso consensu colligantes. Sed de his alias.

PRÆLECTIO NONA.

DE UTILITATE ET JUCUNDITATE RELIGIONIS.

INSANIENTIS licet sapientiæ consultus fuerit, qui hoc dixit; verissime tamen pronunciavit, Dulcius nil esse,

— Bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena.

Ecqua autem sapientior, serenior, et sanctior, cogitari potest doctrina, quam quæ de purissimo sapientiæ et sanctitatis fonte emanavit, quæ de cœlo in terras demissa est, ut sectatores suos omnes eo, unde ipsa est orta, perducatur? Hæc certe est humani generis *sapientia* DEUM *nosse; colere justitia*¹; sine qua hominum acutissimi et doctissimi egregio tantum ad miserias ingenio nati videantur, et secundum sapientissimi regis dictum, *Qui scientiam auget, auget cruciatum*². Certum itaque firmumque maneat ante omnia, unicam pacis ac felicitatis humanæ basin esse *religionem*. Quod et insani ejus irrisores, ægre licet ac inviti, aliquatenus tamen, et dum irrident, fateri coguntur. Nullum

¹ Lact.

² Eccl. i. 18.

enim apud illos solennius audias dicterium, quam totam quidem religionis doctrinam a sagacibus quibusdam ad justitiæ ac virtutis studium inter homines conservandum adinventam esse. Certe eximium quid omnino illud est, quicquid demum sit, quod ad res tantas statuminandas necessarium comperitur. At O! miseram interea justitiam ac virtutem! si fictum illud sit, quo indigent, nec sine ingenti mendacio possunt consistere. Sed apage tantum *ἀτόπημα!* Prima etenim justitiæ norma ac regula non potest non esse recta, nec quicquam virtuti magis amicum et cognatum quam veritas.

Non solum autem ad optima quæque humanæ vitæ emolumenta res utilissima est, sed et simul jucundissima, religio. Imo si ad virtutis rationes adeo sit utilis et plane necessaria, hoc ipso certe asseritur jucunda, nisi quis sapientum omnium consensu approbatum axioma infirmare velit, *οὐκ εἶναι ἡδews ζῆν ἄνευ τῆς ἀρετῆς, vitam non esse suavem sine virtute.* Quod quidem veritatis est usque adeo invictæ, ut inter ipsius Epicuri axiomata locum obtinuerit.

Immane autem quanta fuerit Graii istius hominis dementia, qui, virtutis dignitatem et suavitatem tam exerte asserens, magnum tamen illius fulcrum et fundamentum suffodere totis ingenii viribus contendit. Hoc enim apprime illi propositum fuisse, non fatetur solum, sed et jactat,

insanisque effert laudibus Lucretius: quod tota scilicet philosophiæ serie religionum animos nodis exsolvere tentaverit, ac si liberos ac felices præstare homines hoc esset sacrilegos atque atheos efficere, omnemque numinis sensum eximere, et eo veluti compedibus ac catenis ferreis levare; cum tamen hoc vere foret hominem monilibus, et torque aurea, et corona sua, omnibusque vitæ suæ divitiis et ornamentis et oblectamentis spoliare: quod quidem uberrime et facundissime docet tanto sanior et divinior sapientiæ magister, Parœmiastes Regius. Prov. cap. i. v. 9. *Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo;* et cap. ii. 4. *Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam;* et cap. iii. 13, 14. *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia: melior est acquisitio ejus negotiatione auri et argenti, primi et purissimi fructus ejus;* et cap. iv. 7. *Principium sapientia; posside sapientiam; et omni possessione tua acquire prudentiam.* Et in aperto quidem est, religionis omnia penitus vincula dissolvi, si fieri omnino id posset, nullius certe hominum partis nisi pessimæ ac perditissimæ interesse. Probi siquidem et prudentes omnes, etiamsi liberrima hujusce rei optio daretur, Rectorem universi supremum et sanctissimum, ejusque rebus humanis omnibus invigilantem providentiam, legesque sanctas homini ab ipso positas, mallent, quam non esse; nec religionis dogmata dolenter et reluctantæ animo credunt, sed et lubentes am-

plectuntur, et vera esse impensissime gaudent. Quæ si tollere fas esset, et hoc quisquam, tanquam in eos bene consulens, aggredi vellet, O quam ingratam haberent gratiam et importunam, omnique odio maligniorem benevolentiam! Nec magis certe, quibus sana mens est, in mundo ἀνάρχῳ et ingubernato vivere liberet, quam in navi sine temone et nauclero medias inter syrtes et scopulos jactari: persuasum autem habere, non solum infinitam esse aliquam bonitatem et sapientiam, sed et ipsam hanc quam condidit machinam sustentare, continuoque regere; rerum omnium habenas manu validissima moderari; illum patrem esse, cui curæ nos sumus et nostra omnia, ipsumque nos post brevem hanc ἐκδημίαν, peregrinationem, revisuros, φεῦ, φεῦ, τί τούτων χάριμα μείζον ἂν λάβοις; O! quo gaudio his majore affici possis? Ecquid autem miseræ hujus vitæ reliquum est solatium, fidem illam divinam et spem beatam si tollas?

Quin et ipsa religionis præcepta omnia, non solum non onerosa, sed et jucunda admodum, ac miræ cujusdam suavitatis plena, experitur, quicumque generosam animi fortitudinem et puritatem, carnis suæ illecebris ac cœnosis voluptatibus anteferendam judicat. Sic in solidum dictum illud Hermetis rei ipsius veritati consentaneum, ἐν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἀγαθὸν ἢ εὐσέβεια. Non potuit vel ipse populus vocem illam degenerem ferre exclamantis in scena, *Pecunia magnum generis hu-*

mani bonum. Sed si quis dixerit, *Religio magnum generis humani bonum, οὐκ ἔστ' ἀντίπειν οὐδέν.* *Nihil est quod reperatur.* Et illa est certe, cujus solius pulchritudo Deique amores atque hominum ciet.

Primas autem in religione obtinent, quod et identidem monuimus, ὀρθαὶ περὶ Θεοῦ ὑπολήψεις, *Rectus de Deo sensus*; de quo quidem nonnulla sunt, quæ etiam dictante natura, alia autem, quæ non nisi Ipso cœlitus revelante hominibus innotescunt. DEUM esse clarissima clamat voce, tum quicquid intus in homine, tum quicquid extra ipsum est: quanto magis, si quis omnia quæ sunt, et mirificam simul omnium συζυγίαν et ἀρμονίαν, contemplatus fuerit. Quam supervacuum est ostendere, non sine aliquo conditore, eoque sapientissimo atque potentissimo, tantum extitisse opus; nec sine aliquo, eodemque sane, custode ac conservatore etiamnum stare. Huc itaque se applicent homines, inquit Lactantius, *Ut parentem suum Dominumque cognoscant, cujus nec virtus æstimari potest, nec magnitudo perspici, nec æternitas comprehendendi.* Quum ad illum mentis humanæ intentio et acumen et memoria pervenerint, quasi subductis et consumptis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit, nec est ulterius quo progredi possit. Sed de magni hujus voluminis, divinorum, inquam, operum, doctrina, de Scripturæ etiam luce clariore, alias.

PRÆLECTIO DECIMA.



DE DECRETIS DIVINIS.

Is cum sit majestatis divinæ splendor, ut validissima acies humana rectum ejus intuitum non ferat, in speculo certe operum suorum sese contemplandum exhibuit, quæ tum primo produxit, tum eadem indefessa manu continenter sustentat ac gubernat; nec nisi in eodem speculo, consilia quidem et proposita ejus æterna nobis intueri fas est. Adeo ut in institutione catechetica, in breviori saltem ac rudiori hujusmodi formula, ad divinorum operum doctrinam, ommissa protinus severiori illa decretorum speculatione, continuo progredi, forte non minus commodum foret; sed quæ hic quidem habetis pauca, sunt sobria, perspicua, et certa. In quibus etiam explicandis, intra hos ipsos nosmet continere cancellos, quicumque demum fuerint auditores, at in hac præsertim nostra juvenili, ne dicam magna ex parte puerili corona, æquissimum et tutissimum duco: mentione autem decretorum hic facta, tacito pede rem tantem præterire vix deceret. Nonnulla itaque de arduo hoc argumento dicenda sunt.

Et hic quidem, sicubi alias, philosophandum, quod aiunt, sed paucis; nam omnino haud placet; hujusmodi enim theoriæ degustandæ potius, quam in eas ingurgitandum. Unum fidenter asseramus: quæcunque summus rerum Opifex suo quoque tempore producit, ea ipsa ab omni ævo illi perspecta et veluti præsentia fuisse; et eodem plane modo atque ordine res omnes per labentia mundi secula procedere, quo ea digessit ac evenire voluit æterna illa mens; nullaque ejus consilia vel impediri, vel irrita fieri, vel eventu rerum aliquo tantillum interturbari aut immutari posse. *Nota sunt DEO ab initio omnia sua opera*¹, inquit Apostolus in consilio Hierosolymitano; et filius Syrach, *A seculo in seculum respicit DEUS, et nihil est mirabile in conspectu ejus*. Nihil illi novum aut inopinatum, nihil illi ex improvise supervenit; adeoque sapientissimæ sunt ejus primæ ac æternæ cogitationes, ut secundas sapientiores non admittant. Et hoc ipsum τὸ ἀμετάβλητον καὶ ἀκίνητον τῶν θείων βουλευμάτων asserit Romanus sapiens: *Necesse est, inquit, illi eadem semper placere, cui nisi optima placere non possunt*.

Operatur certe omnis artifex, ut nostis, ad externum aliquod intellectus sui exemplar; quod quidem in opifice, omnium sapientissimo, perfectissimum plane et numeris suis omnibus absolutissi-

¹ Acts xv. 18.

num fuerit necesse. Et per *ideas* suas si hoc exemplar intellexit Plato, quod verisimillimum esse asserunt non pauci nec indocti; certe non erat quod eas suus discipulus magnus, Stagirita vester, adeo frequenter atque acriter exagitaret. Ut ut sit, quicumque machinæ hujus admirandæ, rerumque in illa vicibus suis succedentium, auctorem DEUM agnoscunt, illum hæc omnia ad perfectissimum in consiliis suis æternis *πρωτότυπον* operatum esse, et usque operari, ambigere non possunt: et quæ nobis casu evenire dicuntur, illi in numerato esse omnia. Etenim secundum illud philosophi, *ubi plus est sapientiæ ibi minus est casus*, certe ubi omnis est sapientia, ibi reliquus casui nullus est locus.

Hoc autem de æternis supremi Regis consiliis axioma, præterquam quod in sacris Scripturæ libris ubique eluceat, adeo certe in se conspicuum est et rationi congruum, ut in omnibus pene philosophorum, imo et poetarum, scriptis passim occurrat. Nec aliud *Fati* nomine, ut plurimum, dicere voluisse videntur omnes, imo ne ipsi quidem philosophiæ magistri. Licet nonnulla apud ipsos reperias, non diffiteor, paullo durius dicta, quæ vix ullo vel benignissimo interpretamento leniri possunt.

Quicquid autem ad aliud *Fati* significatum, sive mathematicum, ut distinguunt nonnulli, sive

physicum, referendum videatur; certe illud omne tandem in celsissimi Rectoris consilium et beneplacitum resolvatur necesse est. Si sapientem etiam hominem astris dominari fatentur vel ipsi delirantes genethliaci, quanto apertius est ea omnia, omnemque ipsorum vim ac influxum, DEI sapientissimi subesse et obsequi decretis! Unde solenne illud Hebræorum dictum, *Non esse planetam Israël.*

Et quemadmodum hæc omnia superius et inferius indes moderatur Rex æternus, eadem plane ratione ea omnia ab æterno disposuit, qui *cuncta exequitur secundum consilium suæ voluntatis*², qui mari est, et montibus, et cælis antiquior.

Et hæc quidem sane ac tuto credimus. At vero in cœli scrinia atque adyta velle irrumpere, et arcana illa imperii divini ad ingenioli nostri modulum ac methodos exigere, O quantæ est pervicaciæ, imo insanis! Equidem admirandum me hæcere fateor, quoties viros doctos et theologos de ordine decretorum DEI temere garrientes audio vel lego: Ὁ Παῦλος ὡσπερ πρὸς πέλαγος ἄπειρον ἰλιγγιάσας, καὶ βάθος ἰδὼν ἀχανές, ἀπεπήδησεν εὐθέως καὶ μεγάλα ἀνεβόησεν, εἰπὼν, ὦ βάθος, &c. *Paulus, cum tanquam ad mare immensum stuperet, et profundum videret vastum, statim resiliit, et*

² Eph. i. 11.

*magna vociferavit dicens, O profunditatem, &c.*³.
Nec multo certe temperatiora sunt plurima, quæ
de decretis hisce divinis cum libertate humana
conciliandis disseruntur passim et disputantur.

Actiones quidem humanas et consilia, ipsosque
adeo voluntatis motus, a consilii ac beneplaciti di-
vini imperio eximere, nec religio patitur nec ratio
recta. Quin et referti sunt ipsi ethnicorum libri
disertissimis de monarchia divina etiam hac ex
parte absolutissima testimoniis. Notum illud Ho-
mericum,

Τοῖος γὰρ νόος ἐστίν, &c.

Cui consonum est illud Tragici Euripidis, Ἰκέτ.
734.

ὦ Ζεῦ, τί δῆτα τοὺς τάλαιπῶρους βροτοὺς
Φρονεῖν λέγουσι; σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα,
Δρῶμέν τε τοιαῦθ, ἅν σὺ τυγχάνης θέλων.

O Jupiter, quidnam miseros homines
Dicunt sapere? ex te enim pendemus,
Et talia facimus quæcunque tu vis.

Et facillimum esset ingentem hujusmodi dictorum
struem accumulare. Sed quid hæc?

³ Chrysost.

Perridiculi certe mihi semper visi sunt, qui decreti divini vim cum humani arbitrii libertate ἀσπονδῶς pugnare contendunt; naturalis siquidem et necessaria τοῦ λογικοῦ libertas hæc est, agere et eligere ex consilio, sive τὸ ἐκούσιον βουλευτικόν· hanc autem libertatem, posito vel efficacissimo decreto, non tolli, imo eo ipso poni ac stabiliri, quis est qui non videat? Decretum enim est τὸν δεῖνα tale quid libere electurum et facturum. Et quæcunque aguntur aut eliguntur bona aut adiaphora, sic se habere, vel saltem sic habere se posse, qui infirmatum ierit, frustra est. Sed, ut verbo dicam, magnus totius hujus disputationis nodus est, *De origine mali*. Distinguunt quidem, et merito, actionis (ut loquimini) substratum, sive τὸ φυσικόν, ab eo quod in ipsa morale est. Et hoc nonnihil dicit; sed an totam rei difficultatem exhauriat, haud facile dixerim. Abyssus est, credite, Juvenes, abyssus est, nulla humani ingenii bolide exploranda. Si quis dixerit, οὐκ ἐγὼ αἴτιος εἰμί, ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα, non sic evadit, sed et isto suo acumine in se reflexo pungitur. Zenonis Stoici servus in furto deprehensus, doctrinam domini vel irridens, vel in pœnæ deprecationem detorquens, *In fatis mihi*, inquit, *fuit furari*. *Et cædi*, inquit Zeno. Quapropter ab hoc scrutinio, si quid me auditis, mentes vestras ad pietatis studia, et tremendæ majestatis divinæ reverentiam, protinus convertite. De Deo et arcanis ejus cauti ac tremuli cogitate ac loquimini, disputate autem par-

cissimè; et quicumque perdere te nolles, cave cum ipso disputes. Si quid peccas, te incusa; si quid boni feceris, aut a malo resipueris, *εὐχαρίστικον* DEO canas. Hæc sunt quæ vos moneo, in quibus et ipse acquiesco, et quo multum jactatus velut in portum me recepi. Si cui vestrum id libet, quærat doctiores; sed caveat, ne inveniatur audacior.



PRÆLECTIO UNDECIMA.

DE CREATIONE MUNDI.

QUICUNQUE magnum hoc, cujus pars exigua ipse est, τοῦ πάντος systema oculo paulo defixiori intuetur, ni illi mens humana in præcordiis plane obbrutuerit, cogitare illico subeat necesse est, unde sit hoc Totum, et quæ prima ejus fuerit origo, quibusque

— *exordia primis*

*Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis*¹.

Quemadmodum autem, prout in doctrina de DEO disseruimus, ab hujus mundi visibilis intuitu ad invisibilem ejus Conditorem animus recta ascendit; ita a prima illa atque infinita mente ad aspectabile hoc ejus opificium contemplandum denuo descendit, et hac ipsa contemplatione ad æternum illum rerum bonique Fontem suavissima quadam ἀναστροφῇ usque revertitur. Nec enim vitiosus est hic circulus, sed continuus piæ mentis inter cælum et terram remeatus, angelorum in Jacobi

¹ Virg. Ecl. vi.

visione per scalam ascendentium et descendentium motui plane consimilis: sed puram certe divinamque animi temperiem exigit hæc contemplatio, secundum illud Plotini, Γενέσθω δὲ πρῶτον θεοειδῆς πᾶς καὶ καλός, εἰ μέλλει θεασάσθαι Θεόν τε καὶ καλόν· *Qui Deum et bonum videre vult, Deo similis et bonus primum fiat.* Et qui purum lucidumque habent oculum interiorem, citius in his, quæ oculo exteriori obvia sunt, claros magnosque legunt æternæ potentiae ac divinitatis characteres.

De operum itaque divinorum primo et stupendissimo dicendum, de Creatione: eoque magis, quod e philosophis nonnulli, quibus DEUM quidem asserere omnino certum est, illum tamen auctorem seu conditorem mundi non agnoverunt. Nos quidem secundum illud Epistolæ ad Hebræos, πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ². *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.* Cujus historiam habemus luculentam in primo scriptorum Moysis, et hujus, quem amplectimur, sacri codicis libro: doctrinam autem eandem in suis concionibus et scriptis, Prophetæ atque Apostoli, omnesque demum Hagiographi, ut magnam fidei totiusque adeo religionis basin subinde reponunt; eoque certe nomine omnium animis etiam idiotarum sedulo infigendum est, quatenus id capiant et credant: licet introrsum certe mysterii adeo plena sit, ut

² Cap. xi. 3.

acutissima quæque ac doctissima ingenia non exerceat solum, sed superet longe atque absorbeat. Quod eo usque persensisse, imo, ut ita dicam, supersensisse videntur doctores Judæi, ut discipulos suos ad tria illa *Geneseos* capita introspectenda, ante justam Sacerdotii capessendi ætatem, non admiserint.

Quamvis autem hujus doctrinæ fides supremi illius *ἀτοπιστοῦ* testimonii auctoritati protinus innitatur, (*cui enim magis de Deo, quam Deo credam?*³) adeo tamen et ipsi rationi consona est, ut si cui id certaminis inire libeat, pro hac statuminanda fide, validissima sese obviam dare argumenta; si qua autem opponantur, ea straminea prorsus esse et nullarum virium, comperturus sit. Nullam certe rationem ipsum magis ad scripturam sacram et Christianam fidem amplectendam induxisse fassus est Tatianus, quam hoc ipsum, *Τὸ εὐκατάληπτον τῆς τοῦ πάντος ποιήσεως*. *Comprehensu facile illud, quod tradunt, de fabricatione universi.*

Eligat qui volet suam sibi in hoc negotio thesin, vel, tanquam in re obscura et dubia, commodissimam, quam putat, hypothesin. Vultne Epicuri atomos in vacuo temere saltantes, et post innumera tentamenta in hanc tandem, quam videmus, ornatissimam structuram semet conjicientes, idque tan-

³ Ambros.

tum *εὐκυβεία* quadam, seu felici alea, sine omni Amphione et cithara, suo illos modulamine ad ædificium alliciente atque deducente? Et hæc quidem Græculus iste belle somniavit, vel quæ verior fama est, a deliris aliis Democrito et Leucippo mutuatus, licet id studiosissime ipse dissimulet, quo tam nobilis inventi gloria solus in solidum fruatur. Sed quicumque is demum sit, qui hæc primum excogitarit et in medium protulerit, unde nobis, amabo, fidem faciet hæc ita se habere? Vel rationes scilicet firmas, quibus hæc comprobet, vel testes producat fide dignos. Indecorum enim admodum et inverecundum foret in re tanta, eaque philosophica et physica, precariam eos fidem sperare, quibus animos in religionis negotio, ut illi quidem putant, nimis credulos, adeo salse ridere et fastuose contemnere solenne est. Sed de immani hac et portentosa *φλυαρία*, *re futili*, plus satis.

Nec tamen reliquum est, quod sciam, ubi ab his discesseris, celebre aliquod aliud, creationis doctrinam rejicienti, diverticulum, præter unum illud scholæ Peripateticæ de mundi æternitate commentum. Quod inter alia a Pythagorico quodam Ocello Lucano Aristoteles hausisse dicitur; in quo quidem Ocellus iste non solum magistrum suum Pythagoram, sed et alios omnes antiquiores philosophos, deseruisse videtur. Nominant quidem duos vel tres, Parmenionem et Melissum, &c. quos idem cum Ocello isto sensisse suspicantur; sed incertum est,

et in medio relinquendum. Et hic quidem gratis uterque fecit, cum nullas novi hujus placiti admodum suadentes, nedum cogentes, produxerint rationes.

A priori certe ejus veritatem demonstrare nec possibile est, nec ipsi auctores id aggressi sunt, sed tantum productionem mundi temporaneam incommodis quibusdam premere conantur; quæ tamen dilutissima esse, quivis, in doctrina Christiana vel mediocriter instructus, facillime perspexerit. Militant Aristotelis argumenta potius contra quædam, vel ab antiquis posita, vel ab ipso efficta, quam contra creationis doctrinam. Imo et ipse Aristoteles de hoc dogmate nonnunquam dubitanter admodum loquitur, ut in Topicis inter problemata dialectica hoc ipsum connumerat, Πότερον ὁ κόσμος ἀίδιος, ἢ οὐ; *An mundus sit ab æterno necne?*

E contrario, præterquam quod novitatis suæ apertissimos habeat mundus characteres, fatente etiam ipso Lucretio versiculis illis vulgo notis,

Præterea si nulla fuit genitalis origo
 Terrarum et cæli, semperque æterna fuere,
 Cur supra bellum Trojanum, et funera Trojæ,
 Non alias alii quoque res cecinere poetæ?
 Verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque
 Natura est mundi, neque pridem exordia cepit,

et quæ ibi sequuntur plura; rem ipsam si expendamus, et non solum siderum cursum, velut a primo

motore, sed et totius machinæ rerumque omnium ipsum *esse* a suprema aliquam mente, utpote unico τοῦ εἶναι fonte, derivemus; illud certe τὸ αὐτὸ ὄν καὶ τὸ ὄντως ὄν æternum omnino astruendum est. Reliqua autem ipsi coæva ut ponamus, nulla est prorsus quæ urgeat necessitas, imo summa si non necessitas, at saltem congruitas, quæ prohibeat.

Etenim mundum hunc, ex tot naturis heterogeneis compositum, ab una illa prima, purissima, ac simplicissima natura per modum naturalis et necessariæ emanationis profluxisse, nemo est, ut puto, qui crediderit vel levissime suspicatus fuerit; mortale scilicet ab immortali, et corruptibile ab incorruptibili, et (quod dictu indignum) ipsi vermiculi et vilissima quæque animalcula atque insecta ab optima illa et maxima et beatissima majestate. Sin autem liberrime omnia, beneplacito suo, omnipotente facilitate produxerit, quanto congruentius est, id in tempore quam ab æterno factum credere! Perdifficile est de eo omnino disputare, cujus naturam cogitationes nostræ amplissimæ nullatenus capiant.

Imo licet a philosophis, atque etiam theologis, ultro citroque disputetur, utrum productio talis ab æterno omnino possibilis sit, necne; est aliqua forte in ipsius rei natura delitescens, etsi nobis incomperta, in partem negativam demonstratio: quod enim mole et virtute omnique alia ratione finitum

est, infinitudinis hujus in duratione capax esse vix videtur; et theologi certe æternitatem inter attributa Dei, ut loquuntur, incommunicabilia communiter ponunt. Certe rationi consonantissimum videtur, et fortasse omnino necessarium est, ut in omni liberi agentis extra se productione, detur aliquod instans in quo sit, qui producit, quod autem producitur, nondum sit. Æterna quidem, quam credimus, generatio intra ipsum DEUM est, nec quicquam natura essentiaque diversum extra ipsum edit. Omnis autem entis creati, immensumque natura diversi, libereque et ad extra producti, illa ipsa productio seu creatio conceptu suo (ut loquuntur) formali eductionem de *Non esse* ad *esse* significare videtur; unde necessario conficitur, illud in aliquo instanti non fuisse.

De præexistente materia quæ docent Platonici, huc non spectant: sed æque certe vacua sunt, ac ipsius mundi ordinati imaginaria æternitas. Cum Angeli e materia producti non sint, qui illos a DEO productos asserunt, certe mirum est qui hæsitare possint in aliarum rerum sine prævia materia, vel ipsius certe materiæ, productione agnoscenda. Decantatum quidem illud philosophorum axioma alio ab illis et saniori sensu amplectimur, *De nihilo nihil*. Nil scilicet oriri posse nisi ex præcedanea vel materia, vel potentia, in qua latebat, productiva. Atque sic quidem dictum istud firmissimam illam in se continet demonstrationem, a posteriori scilicet,

(aliter enim non est capax) qua probatur dari *Ens* aliquod *unum, primum, et æternum*.

Magnus autem ille Opifex rerum, cum ipse fuerit virtute omnia, ad omnia quidem producenda nec materia indiguit nec instrumentis. *Verbo Domini cœli facti sunt, et totus eorum exercitus spiritu oris ipsius*⁴. Illi fuere vectes, ea ferramenta, Verbum Domini, seu efficax illa et πανταρκής Voluntas. Ὁ δὲ πάντων Κύριος εὐθέως ἐφώνησε τῷ ἑαυτοῦ ἀγνῶ καὶ νοητῶ καὶ δημιουργικῶ Λόγῳ, "Ἐστω ἥλιος, καὶ ἅμα τῷ φάναι, &c. *Omniū vero Dominus statim dixit sancto suo et intelligibili et opifici Verbo, Fiat sol, et simul apparuit, &c*⁵. Hic certe dictum factum, et ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον. Infinitam illam Bonitatem ad hoc opus edendum quid impulerit, si quæras, hoc ipsum dixerim, quo eum scire nuncupas, *Bonitas*; quæ si (quod aiunt) semper sui⁶ diffusiva, maxime certe omnium quæ maxima est, et locupletissima, et prorsus immensa, quam nulla vel tantillum minuat munificentia, nedum et exhauriat. Nec periculum subest ullum, ne hic obtineat, quod de humana quidem prudenter monuit Cicero, ut *liberalitate* scilicet *pereat liberalitas*. Immortalis enim illa⁷ et interminabilis sit necesse est, cujus thesaurus est infinitus.

Nec dubium certe est, quin ex hac ipsa bonitate,

⁴ Psal. xxxiii. 6.

⁶ [Edd. *sua*.]

⁵ Trismegist.

⁷ [Edd. *ille*.]

pari cum potentia ac sapientia in creatione et rebus creatis omnibus relucente, immensa in ipsum Fontem ac Conditozem reflectatur gloria. Et hoc consimiliter proposuisse πολυποίκιλον illam σοφίαν diffundendum non est. Et ex his omnibus, tum scilicet operibus suis, tum pia diffusa bonitate, tum illustrata potentia ac sapientia, gloriaque inde continenter repullulante, tum consiliis suis, et seipso, unde hæc omnia emanarunt, æterna atque ineffabili frui Majestatem divinam lætitia ac complacentia, certissimum est⁸. Et sic omnia in immensum illum unde effluxere oceanum se refundunt, secundum illud, *Prov. xvi. 4. Omnia fecit propter se.* Et disertissima sunt in hanc sententiam cantilenæ Apocalyplicæ verba, *cap. iv. 11. Dignus es, Domine, qui accipias gloriam, et honorem, et virtutem, quia Tu condidisti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* Nec aliter quidem fieri potest quam, qui omnium principium est, idem sit et omnium finis; principium mirabile sine principio, et finis sine fine. Quemadmodum de juramento divino argumentatur Auctor ad Hebræos, *Cum non posset per majorem jurare, juravit per seipsum.* Pariter et hic, cum non potest majorem scopum finemve proponere, seipsum proposuit. Est inter Epicuri dicta, *Sapientem omnia facere sui causa.* Nos aliter edocti dixerimus potius, *Sapientem nihil facere sui causa, sed DEI*

⁸ Gen. i. 31. Psal. civ. 31.

causa omnia. At summum certe ac sapientissimum DEUM, eo quod is ipse sit, omnia sui causa facere necesse est; et interea tamen erga creaturas suas omnes benignissime omnia et benevolentissime facere.

Mundum proxime et immediate hominis causa factum, non solum Stoici docent, sed et ipse scholæ Peripateticæ magister, 2 *Phys. tit. 23. Sumus enim, inquit, et nos quodammodo omnium finis.* Et primo *Polit. 15. Naturam hominum gratia omnia fecisse.* Et Cicero primo *de Legib. De quo uberius Lactantius de Ira Dei, cap. xiii. 14. Sol irrequietis cursibus et spatiis inæqualibus orbis conficit, &c. ad finem capit.* Sed hoc luculentissime Moyses, tum in historia illa creationis, tum *Deut. 14, hac ipsa ratione ne Angelos colamus monet, Nam hominis creati sunt, inquit, in ministerium.* Et Sol quidem Hebræis *Shemesh, Minister,* dicitur.

At O! quo divagantur corda nostra? quin suavissimæ huic contemplationi immorari usque et immori: libet hic obstupescere, et terrenis hisce, quæ nos circumstrepunt, ineptiis ἀπαθῆ plane et veluti mortuum reddi. O dulcem reciprocationem! dixit Psalter, *Ps. civ. 31. Lætabitur Dominus in operibus suis.* Et mox v. 34. *Suavis erit de eo meditatio mea; ego in Domino lætabor.* Nunc cœlos intueamur, nunc maria et terras, animalia et plantas, et sæpissime nosmetipsos; inque his

omnibus, et ubique, in nobismetipsis autem potissimum, Patrem omnium et ἀριστοτέχνην Θεόν, *præstantissimum architectum DEUM*, contemmur ac amemus.

Non quidem admodum sapienter neque feliciter vulgi ignari seu idiotarum commodis consulere, qui ad picturas, veluti libros iis instituendis idoneos, ablegarunt; at certe magnum hoc volumen seu systema, quod semper patet, et omnium observatur⁹ oculis, vulgo pariter et sapientibus erudiendis accommodatissimum; ut vere illud appellarit Chrysostomus, Βιβλίον μέγιστον καὶ ιδιώταις καὶ σοφοῖς. Atque apposite dictum illud Basilii M. Ἐκ τοῦ κάλλους τῶν ὀρωμένων τὸν ὑπέρκalon ἐννοώμεθα, καὶ ἐκ τοῦ μεγέθους τῶν αἰσθητῶν τούτων καὶ περιγραφτῶν σωμάτων ἀναλογιζώμεθα ἄπειρον καὶ ὑπερμεγέθη καὶ πᾶσαν διάνοιαν ἐν τῷ πλήθει τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως ὑπερβαίνοντα¹⁰. *A pulchritudine rerum quæ omnium oculis conspicuæ sunt et spectandæ proponuntur, illum agnoscamus inenarrabili pulchritudine cetera antegredi et præcellere; tum a magnitudine sensilium corporum suisque circumscriptorum locis, ipsorum Opificem cogitemus infinitum esse et immensæ magnitudinis, omnem intelligentiæ omnis vim sua solius exuberanti potentia exuperantem.*

⁹ [Ita Edd. nonne *obversatur*?]

¹⁰ Hex. Hom. 1.

In hunc ipsum enim signanter finem condita sunt omnia, et nos contemplationis hujus soli¹¹ inter visibilia capaces. Ὁ κόσμος ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. *Mundus est locus perdocendis animabus hominum atque erudiendis accommodus.* Basil. *Hex. Hom.* 1. Quin et ministros illos igneos in hoc theatro spectandi socios habemus. Ecquis autem nostrum conjectare ausit, quid senserint illi, et quæ eos occupaverit admiratio, ad novas in singulis primæ illius et magnæ hebdomadis sex diebus enascentes rerum species, et inopinatas quotidie scenas prioribus superadditas, *ubi bases terræ posuit, et lapidem jecit ejus angularem, cecinerunt simul stellæ matutinæ, et omnes filii DEI vociferati sunt?* Job xxxviii. 6, 7.

Sed O miram humani generis hebetudinem! Circumdant nos quotidie stupenda hæc spectacula, sed quia semper oculis obversantur, animos nunquam feriunt: adeo naturale est nova magis quam magna mirari. Hic itaque cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non convocat; at cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cœlo est. *Sol spectatorem nisi cum deficit non habet; nemo observat lunam nisi laborantem: tunc orbis conclamant, tunc pro se quisque superstitione vana trepidat*¹². At certe

¹¹ [Edd. *solos*, et mox *occupaverat*.]

¹² Sen.

magna sunt hæc miracula, inquit S. Bernardus de sole et luna, magna nimis: ita est; miraculum autem immensum est ipsa prima omnium productio seu creatio, quæ miraculorum omnium adeo facilem fidem facit, ut post eam nil sit mirum.



PRÆLECTIO DUODECIMA.



DE HOMINIS CREATIONE.

EXTRUCTO magno hoc theatro, præter supernos illos, quos non ita pridem comparaverat spectatores, visum est supremo Opifici ac Domino et alium inferiorem habere cœtum, velut imæ caveæ; quos etiam condendo accersivit, et introduxit Hominem in hoc atrium, ὡς θεατὴν τε αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ ἔργων, καὶ οὐ μόνον θεατὴν ἀλλὰ καὶ ἐξηγήτην¹ ut *spectatorem sui et operum suorum, nec ut spectatorem solum sed etiam interpretem*. Nec spectatorem solum et interpretem hominem statuit, sed et magna ex parte possessorem ac dominum quendam ὑποκατάστατον, *substitutum*, velut in domum amplam commodamque jam extractam, omnique sua suppellectile instructam.

Peregregium autem et insigne opus esse Hominem, vel hinc patet, quod sapientissimus ille δημιουργός, illum conditurus, quod moliebatur, sic præfari dignatus sit: *Faciamus Hominem*². *Ut*

¹ Arrian.

² Gen. i.

non solo jubentis sermone, sicut reliqua, sed consilio sanctæ Trinitatis conditus sit. Arnob.

Et admirandæ quidem compositionis est Homo, connubium cœli et terræ, πνοῦς καὶ χροῦς, *halitus Dei, et limus terræ*; mundi visibilis et invisibilis vinculum atque unio, vere μικροκόσμος, μικτὸς τῆς κόσμος, συγγενῆς τῶν δύο κόσμων³, *mixtus quidam mundus, duorum mundorum cognatus.* Nec solum mundi majoris viva epitome atque imago, sed etiam ter-maximi Conditoris imagine insignitus est. Fecit cœlum, et terras, et mare, et sidera, et tum demum animantium omne genus; sed

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ,
Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset:
Natus Homo est⁴.

Habere reliqua, ut non incommode loquuntur scholastici, impressionem *vestigii* divini, sed non *imaginis*. Reliqua condidit, et revisens *bona esse* comperiit, in iis tamen non requievit; sed homine producto, insecutum est continuo Sabbatum. Hominem fecit, et tum requievit, habens qui ipsum Conditorem cognosceret, coleret, et Sabbatum una celebraret; et cui, si peccaverit, peccata dimitteret, et in ejus carne ob id ipsum Filium suum Unigenitum Redemptorem mitteret, ἐν ᾧ εὐδόκησε, *in quo absolutissime acquiescit*, et beneplaciti sui complemento æternum lætatur. Homine

³ Greg. Nyss.

⁴ Ovid. Met. I.

producto tum se maxime admirandum præstitit supremus Opifex, tum hoc ipso habuit, qui admirari et amare posset. Et *quidem*, ut ait S. Ambrosius, *tanto ardentius amaret Conditorem, quanto mirabilius se ab eo conditum intelligeret. Et factus est*, inquit idem, *Homo bipes, ut sit unus quasi de volatilibus, qui alta visu petat, et quodam remigio volitet sublimium cogitationum.*

Est quidem hæc Hominis structura stupendi artificii refertissima, sive integram ejus symmetriam totamque simul pulchritudinem, sive seorsim ac minutim partes, intueare: apte Gregorius Nysenus, Ἡ τοῦ ἀνθρώπου κατασκευὴ φοβερὰ τὶς καὶ δυσερμήνευτος, καὶ πολλὰ καὶ ἀπόκρυφα ἐν αὐτῇ μυστήρια Θεοῦ ἐξεικονίζουσα. *Structura hominis est timenda, et interpretatu difficilis, et multa ac ab-dita in se Dei mysteria iconice exprimens.* Quam admiranda vel ipsius corporis compages, quod tamen animi vas tantum testaceum est, vel secundum vocabuli Chaldæi *Nidne* significatum, vagina. *Materiam* O! quantum *superat opus.* Et quam merito quis dixerit, Οἶος ἐξ οἴων! Et ei quidem meditationi ad stuporem usque inhæsisse videtur anima Psalmographi: *Quam terribiliter mirificatus sum! horrore mihi est hæc mei ipsius variegatio*⁵. Quin et insignem illum Medicum, naturæ adeo studiosum, sed parum divinum, in opere suo

⁵ Psal. cxxxix. 14.

de hoc opificio, sæpius abripit hæc ipsa admiratio : τίς ἱκανός ἐστὶ τὴν τοῦ Δημιουργοῦ σοφίαν τε καὶ δύναμιν ἐπαινεῖν; *Quis dignus est sapientiam et potentiam Opificis laudare?* Et similia passim. Et hoc quidem doctores Christiani uberrime exequuntur, S. Basilius Magnus, S. Chrysostomus, et alii, usque ad ungues et crines, et palpebrarum pilos. In verba, *facidmus hominem*, hæc etiam habet Nyssenus : Μέγα ἄνθρωπος καὶ τίμιον. Ἄλλὰ πῶς μέγα ὁ ἄνθρωπος ; τὸ ἐπίκηρον ζῶον, τὸ μυρίοις πάθεσιν ὑποκείμενον· τὸ ἐκ γεννητῆς εἰς γῆρας μυρίων κακῶν ἐσμὸν ἐξαντλοῦν, περὶ οὗ εἶρηται· Κύριε, τίς ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος ὅτι μιμησκη αὐτοῦ, &c. Ἄλλὰ μοι τὴν τοιαύτην διαπόρησιν ἔλυσεν ἡ ἱστορία τῆς γεννήσεως τοῦ ἀνθρώπου ἀναγνωσθεῖσα, &c.⁶ *Magna res homo est et præclara—Quomodo magna res homo est? cum mortale sit animal, innumerabilibus obnoxium perturbationibus: quippe qui ex quo in lucem est editus, ad senectutem usque perpetuo innumerabilium molestiarum examine colluctetur, de quo scriptum est, Domine, quid est homo quod memor es ejus, &c. Hanc mihi, inquit, adimit dubitationem historia quæ de hominis ortu legitur. Audivimus enim Deum accepisse de limo terræ, atque hominem formasse, quibus ex verbis et nihil et magnum quiddam esse hominem intellexi. Materiam voluit dicere humilem, et quasi nihil; sed si artificium admirandum intueare, quanto*

⁶ Orat. 2.

affectus est honore! Οὐχ ἡ γῆ αὐτομάτως, ὥσπερ τοὺς τέττιγας, ἐξέβρασε, ἀλλ' οὐκ εἶπε τῷδε καὶ τῷδε ποιῆσαι λειτουργικαῖς δυνάμεσιν, ἀλλ' ἰδίᾳ χειρὶ φιλοτεχνεῖ γῆν ἔλαβεν. *Non ut cicadas sponte sua protulit hominem terra: non ministris potestatibus hoc aut illud faciendum mandavit; sed manu sua benevolus artifex terram accepit.*

Sed præter insignem corporis, licet e limo terræ editam, structuram, spiraculum illud divinum, adeoque præcellentis animæ infusio, terræ cœtum miscet; non quidem, prout phrasis illa vulgo sonat, res tam dissitas promiscue confundens, ordinemque rerum subvertens, sed ineffabili arte componens, connubioque jungens stabili. Quin et alio referenda est dicta humani generis miseria, et contemptissima vitæ humanæ facies, quam ad materiam terrenam qua effictum est corpus. Quod felix, pulcher, honoratus erat, hoc ab Opifice suo habuit Optimo Maximo; ipse autem miseriæ suæ faber. Atque hinc est quod, licet originem ejus et naturam spectando de illo, præ omni reliquo visibilis mundi apparatu, jure optimo magnifice semper loquendum sit, si tamen illum, οἶος νῦν βροτός ἐστιν, contemplemur, de nulla certe creationis parte lugubrior θρηνηδία decantanda est. Animi autem cœlestis illius, in terreno corpore incolæ, dignitates et vires, divinamque illi impressam imaginem sermo quis explicet, quæ assequatur cogitatio?

Cujus naturam omnis omnium seculorum scrutata est, necdum investigavit, philosophia.

De imagine itidem illa divina in homine, levibus nimis conjecturis ac commentis luserunt plurimi, sacrosanctæ Trinitatis figuram in animi facultatibus alio atque alio modo indagantes. Nec in animo tantum uniuscujusque, sed et in tribus primis humani generis personis, hujus mysterii imaginem excogitavit Methodius, Adamo scilicet, Eva, et filio ipsorum primogenito, utpote in quibus reperiatur *Ingenitum*, *Genitum*, et *Procedens*, et naturæ *Unitas*, et totius humani generis *Originatio*. Verum his omissis, anima certe rationalis, seu intellectualis, et immortalis, primigenia sua puritate ornata, æterni sui Genitoris, *Patris Spirituum*, vivida imagine refulgebat; quæ quidem fœda peccati labe postmodum conspersa, licet protinus deleta non sit, miserrime tamen atque indignissime obfuscata est. Pulchrior quidem illa et erectior corporis humani species, qua præ ceteris animantibus emicat, aliæque exteriores hominis dignitates, radii forte quidam repercussi præcipuæ illius excellentiæ dici possint, ipsam autem divinam imaginem vix dicerem. Apte de hoc S. Ambrosius: *Caro terra est: qui dicatur ad imaginem Dei facta, cum in Deo terra non sit? et an eo Dei similes dicemur, quia damulis atque ovibus celsiores sumus?*

Illud quidem in reliqua animantia dominium supremæ illius majestatis adumbratio quædam est. Imaginem autem illam esse, de qua sermo est, asserere non ausim; sed quemadmodum regis alicujus imaginem depingentes, ad expressam corporis vultusque effigiem purpuram etiam aliaque insignia regalia adjicere solent, illorum certe vicem dominium istud in hac imagine supplere poterit. Vividi autem colores, quibus ipsa depicta est imago, καθαρότης, inquit Nyssenus, κακοῦ ἀλλοτριωσις, νοῦς καὶ λόγος. Nam et ipse Filius æternus, Patris Sapientia, a philosophis sub νοῦ δημιουργοῦ titulo intelligi videtur, et a divino Apostolo Johanne Λόγος dicitur. Caritatem si adjicias, optimo id jure feceris, cum nec dici possit quicquam, quod hominem DEO similiorem et θεοειδέστερον præstet. Ἀγάπη γὰρ ὁ Θεὸς, καὶ ἀγάπης πηγή. *Deus enim amor est et amoris fons.* Magna est hæc animi virtus, sed et in ipsius humani corporis figura tralucet: factus est enim homo inermis prorsus, nec cornibus, nec unguibus, nec aculeo munitus, sed nudus, et innocuus, et totus quasi ad mansuetudinem, et pacem, et caritatem compositus.

De imagine Dei in homine hæc etiam habet idem Nyssenus: Θεῶ οὖν ὅμοιος ἔση διὰ τῆς χρηστότητος, διὰ τῆς ἀνεξικακίας, διὰ κοινωνίας, μισοπονηρὸς ὦν καὶ κατακρατῶν τῶν παθῶν, — τῶν ἐνδον ἄρχε θηρίων. Τί οὖν; ἐρεῖς, ἐγὼ θήρια ἔχω ἐν ἐμαντῶ; καὶ

μυρία καὶ πολὺν ὄχλον ἐν σοὶ θηρίων ἔχεις, καὶ μὴ ὕβριν νομίσης εἶναι τὸ λεγόμενον. Πόσον θηρίον ἐστὶν ὁ θυμός, ὅταν ὑλακτῇ τῇ καρδίᾳ, &c. *Quamobrem, ut Deo similis fias, liberalitatem amplectere, beneficentiam exerce, innocentiam sectare, scelera fuge, peccati perturbationibus dominare—Impera bestiis omnibus quæ sunt in te. Quid, inquires, egone in me ipse bestias habeo? Tu vero bestias habes, et eas quidem innumerabiles; plurima in te est bestiarum multitudo. Ac ne me contumeliosum existimes, dic amabo, parvane bestia est iracundia, quando latrat in corde tuo? Quid in callido animo latitans dolus, nonne vulpes est? Qui impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpius est? Qui præceps ad vindictam ultionemque fertur, nonne vipera est gravissima? Quid avarus, annon lupus rapacissimus? et equus hinniens, ut ait Propheta, luxuriosus? Imo nulla in nobis fera non invenitur: et credis te ferarum esse dominum et principem, si illis quæ foris sunt imperes, eas autem, quæ intus versantur, non domes aut regas? Quorsum tibi ratio qua leones vincis, si ab ira vincaris? Quorsum avibus præes et visco capis, si ipse tanquam volucris levis atque instabilis huc illuc feraris, aliquando fastu in sublime volitans, aliquando autem voluptate detractus inescaris? At quemadmodum turpe est, illum qui gentibus dominatur domi servum esse, et qui reipublicæ tractat gubernacula, vel scorti vilis, vel etiam uxoris imperiosæ, nutu atque arbitrio cogi; tibi non ab-*

similiter turpe erit in animalia quæ extra te sunt imperium exercere, plurimis autem et pessimis intus in jecore ægro frementibus ac dominantibus subesse.

Adjiciam denique, quod ex antiquis nonnulli observarunt, DEI non obscurum aut exiguum esse in anima humana characterem, naturam ipsius adeo reconditam, et latentem, et plane investigabilem, κατ' εἰκόνα τυπικὴν τοῦ ἀνωυμοῦ καὶ ἀγνωριστοῦ Θεοῦ.

Sed his omnibus, aliisque hujusmodi quæ occurrunt plurimis, probe expensis, O! quam stupenda est et probrosa humani generis amentia! cujus scilicet pars longe maxima, veluti originis suæ et nativæ dignitatis prorsus oblita, ad vilissima quæque sectanda se dejicit, lutoque se turpiter immergit. Divina Epecteti verba et admirabili pietate plena: Εἰς Ὀλυμπίαν μὲν ἀποδημεῖτε, ἵν' εἰδῆτε τὸ ἔργον τοῦ Φειδίου· ὅπου δὲ οὐδ' ἀποδημῆσαι χρεια ἐστὶ, ταῦτα δὲ θεάσασθαι καὶ κατανοῆσαι οὐκ ἐπιθυμήσετε; οὐκ αἰσθήσεσθε τοίνυν οὔτε τίνες ἐστέ, οὔτε ἐπὶ τί γέγονατε, οὔτ' ἐπὶ τί τοῦτο ἐστίν, ἐφ' ὃ τὴν θεὸν παρειλήφατε⁷? *Ad Olympiam quidem profiscimini, ut Phidicæ aliquod opus videatis: ad ea vero opera intelligenda et spectanda, ubi nulla peregrinatione opus est, non avide confluetis?*

⁷ Arr. lib. i. cap. 6.

Non tandem intelligetis, neque qui sitis, neque cur nati sitis, neque etiam quid illud sit, cujus spectandi vobis copia data est? Et rursus, cap. 16. ejusdem lib. Εἰ γὰρ νοῦν εἶχομεν, ἄλλο τι ἔδει ὑμᾶς ποιεῖν καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ ἢ ὑμνεῖν τὸ θεῖον καὶ εὐφημεῖν καὶ ἐπεξέρχασθαι τὰς χάριτας; οὐκ ἔδει καὶ σκάπτοντας καὶ ἀροῦντας καὶ ἐσθιοντας ἄδειν, Μέγας ὁ Θεὸς ὅτι ἡμῖν πάρεσχεν ὄργανα ταῦτα, &c. Nam si sani essemus, quid nobis aliud agendum erat, et publice, et privatim, quam numen celebrandum et laudandum, et grates persolvendæ? Nonne et inter fodiendum, et inter arandum, et edendum hymnus hic cantandus erat Deo: Magnus est Deus qui nobis instrumenta præbuerit hæc, &c.

Vos velim, Adolescentes, tum originis vestræ celsitudinem et dignitatem, tum naturæ jam collapsæ et vitiatæ indignitatem ac sordes, agnoscere; et huic intuendæ et dignoscendæ potissimum inhærere: ne eximium et honorificum humani generis decus (Conditorem æternum et invisibilem Deum scilicet cognoscere et agnoscere, amare et colere) torpere intra vos et emori sinatis, quod heu! plerique faciunt; sed originis vestræ memores vivite, vosque cœlo asserite, tanquam inde orti, eoque brevi redituri.



PRÆLECTIO DECIMA TERTIA.

DE PROVIDENTIA.

HÆC sunt magna fidei ac pietatis, atque adeo totius religionis, fulcra; quapropter æquisimum est in hanc operam, tum docentium, tum discentium conspiret cura, hæc bene ut firmentur, imisque figantur præcordiis. *Debile enim fundamentum fallit opus*, inquit jurisconsulti. Duæ autem sunt illæ columnæ in vivis DEI templis velut *Jachin* et *Booz*, quas ponit Auctor Epistolæ ad Hebræos, *Qui ad DEUM accedit*, inquit, (quo vocabulo affectum omnem cultumque sanctum denotat,) *credere oportet DEUM esse, et esse remuneratorem eorum qui illum diligenter quærunt*¹.

DEUM esse, non solum æternum illum esse, et a seipso, significat, sed et aliis omnibus quæ sunt, illius, quod habent, *Esse* fontem ac originem ponit; eoque angelorum, hominumque, et totius universi sapientissimum ac potentissimum Conditorum: id enim plane est, *esse DEUM*. Alterum

¹ Heb. xi. 6.

autem illud, *remuneratorem esse ipsum sedulo quærentium, Providentiam regimenque divinum* asserit, secundum effectum ejus eminentiorem, et humanum genus respicientem. Nam et alia suo ambitu complectitur Providentia, rerum scilicet omnium visibilium ac invisibilium, in cœlo, et in terra, sustentationem ἀδιάλειπτον et gubernationem. Fabri quidem domos, navesque, et reliqua sua opificia ubi absolverunt, suis ut plurimum permittunt fati, seu casibus, nihil ultra² de iis solliciti. At supremus certe hic Architectus, καὶ πάνσοφος Δημιουργός, opus suum nunquam deserit; sed circumdat usque conservando, eique regendo ac moderando præest, et intime inest totum complendo. Nec potest enim tantum opus sine aliquo custode ac rectore stare, nec alius is esse ab ipso Conditore; quis enim potest magis diligere, et potentius sustentare, et ordinatius regere, quam is qui fecit? *Nihil DEO præstantius; ab eo igitur mundum regi necesse est.* Cic. *Et, Qui providentiam negant, verbis licet DEUM ponant, reipsa tollunt.*

Si de nihilo res omnes productas credimus, consequens certe est, fateamur eadem illa, qua extractæ sunt, manu illas necessario sustentari ac fulciri, ne in nihilum suum relabantur: quin et eadem manu compositos illos siderum motus, et mundi elementaris συγκρασίαν, et animantium spe-

² [Edd. *ultra*.]

cies, perpetuamque γενεῶν διαδοχὴν conservari. Nec certe vel intra cœlestium, vel etiam inferiorum sed universalium tantum curam, coercenda est divina Providentia; licet schola Peripatetica in eam sententiam nimium propendat, et ipse ejus magister etiam in libro illo laudatissimo, quem (modo ejus sit) *de Mundo* inscripsit. Sed omnia omnino in toto hoc globo, suprema, media, infima, et particularia quidem omnia etiam minutissima, ambitu suo complecti, non solum paginæ sacræ doctrina, sed et omnis sanioris philosophiæ suffragio comprobatum est.

Providentiam itaque asserentes, 1^o. Omnium rerum etiam singularium absolutissimam ponimus scientiam, nec tantum præsentium, prout suo quæque ordine in scenam prodeunt, sed uno aspectu omnia τὰ τ' ἔοντα, τὰ τ' ἐσόμενα, πρό τ' ἔοντα, coram et veluti præsentia conspiciari æternam illam mentem. Quod et antiquus ille Thales diserte asseruisse fertur, etiam quoad abditissimos illos motus, humanæ scilicet mentis cogitatus: interroganti enim, εἰ Θεὸν τις λάθοι κακὸν τι πράσσειν; ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος. *Si quis malum perpetrans Deum lateat? Ne cogitans quidem*, inquit. Οὐδὲν ἀπρονόητον, οὐδὲν ἡμελημένον παρὰ Θεῶ· πάντα σκοπεύει ὁ ἀκοίμητος ὄφθαλμος, πᾶσι πάρεστι, σκορπίζων ἐκάστῃ τὴν σωτηρίαν. *Nihil non provisum, nihil est neglectum apud Deum; omnia videt pervigil oculus,*

*omnibus adest, salutem cuique dans*³. Divine etiam Epictetus loco supra laudato, *cap. scilicet 12. lib. 1. ab initio*⁴.

Et hoc quidem qui serio defixoque animo recogitaret, quam innumera unius provinciæ, vel unius etiam urbis, sunt negotia, animorumque proposita politica, forensia, domestica, et tot capitum singula, præ infiniti illius intellectus horrore obstupesceret. Et hæc ipsa fuit meditatio, quæ a divino Psalmographo θαυμαστικὸν illud expressit epiphonema: *Mirabilis est supra me talis scientia*⁵.

2°. Verum non solum omnia novit ac intuetur, sed et regit ac moderatur: *ipse quæcunque vult in coelo fecit atque in terra*, inquit Psalmista: Et, *Omnia operatur*, inquit Apostolus, *secundum consilium voluntatis suæ*: pro arbitrio, sed etiam cum consilio; omnia absolute, sed omnia tamen iustissime, sanctissime, sapientissime.

Res humanas peculiari quadam ratione intuetur ac gubernat. Illi⁶ legem posuit, et præmia proposuit, pœnasque apposuit, quo et legem communit, et hominem ad obsequium flecteret. Et quemadmodum egregio quodam veluti studio primum condidit, prout dictum est ad illud, *Faciamus*

³ Basil.

⁵ Psal. cxxxix. 6.

⁴ Pag. 64.

⁶ [Scil. *Homini.*]

Hominem; pariter et eximia quadam benevolentia, ac veluti sollicitudine, usque prosequitur, ut merito ex antiquis nonnullus *Hominem* vocaverit τὸ περισπούδαστον Θεῷ ζῶον. Et apte rem elocutus est qui dixit, Ὁ Θεὸς οὐ φίλιππος, οὐδὲ φίλορρις, ἀλλὰ φιλόανθρωπος. De justitia autem suprema gubernatrice pleraque apud antiquos etiam poetas.

ὦ Ζεῦ, πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος·
 Σὺ δ' ἔργ' ἐπουρανίων τε κἀνθρώπων ὄρας
 Λεωργὰ κἀθέμιστα· σοὶ δὲ θηρίων
 ὕβρις τε καὶ δίκη μέλει⁷.

O Jupiter supreme, tu cælo imperas;
 Tu cuncta facta cœlitum atque hominum notas
 Tumida ac nefanda: sunt ferarum etiam tibi
 Curæ facinora jusque.

Δίκα τοι δίκαι χροῖος,
 Ἄλλ' ὅμως ὑποπεσοῦσ'
 Ἐλαθεν, ὅταν ἔχη
 Τιν' ἀσεβῆ βροτῶν⁸.

Jus sero veniat licet,
 Jus est: attamen impio
 Pœnas, quas decet, irrogans
 Tanquam ex insidiis latet.

Δοκεῖς τὰ θεῶν σὺ ξυνετὰ νικῆσαι ποτε,
 Καὶ τὴν δίκην που μάκρ' ἀποικεῖσθαι βροτῶν;
 Ἡ δ' ἐγγύς ἐστιν, οὐχ ὀρωμένη δ' ὄρα,

⁷ Æschyl.

⁸ Eurip.

Ὅν χρὴ κολάζειν τ', οἶδεν. Ἄλλ' οὐκ οἶσθα σὺ,
Ὅποταν ἄφνω μολούσα διολέσῃ κακούς⁹.

Superare mentem posse te credis Deum,
Hominumque abesse a genere justitiam procul?
Prope adstat, inconspicua, conspiciens tamen;
Quis puniendus, novit: at quando malos
Subito sit invasura, te vero id latet.

Ῥοπή δ' ἐπισκοπεῖ δίκας
Ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει,
Τὰ δ' ἐν μεταίχμιῳ σκότου
Μένει χρονίζοντ' ἄχη βρύει,
Τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ¹⁰.

Inclinatio justitiæ animadvertit
Celeriter aliquos ipso die puniens;
Quædam [peccata] in dubia crepusculi
Luce tardos dolores germinant;
Alios autem æterna coercet nox.

Duo autem fere sunt in hoc apice, quæ difficiles habent explicatus. 1°. Cur malis bene sit, bonis male. Ad quod multa etiam philosophi, DEI causam, eoque rem, ut ipsi dixerunt, non difficilem agentes. Senec. *Inter bonos viros ac DEUM est amicitia, imo necessitudo et similitudo; imo ille eorum pater, sed durius eos educat: cum itaque eos videris laborare, sudare, et arduum ascendere, malos autem lascivire et voluptatibus fluere, cogita, filiorum nos modestia delectari, vernularum*

⁹ Æschyl.

¹⁰ Idem Choeph.

*licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de DEO liqueat: bonum virum deliciis non innutrit; experitur, indurat, et (O! miram in ethnico vocem!) SIBI ILLUM PRÆPARAT*¹¹. Et paulo infra in eodem tractatu,—*Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum; veniet ad illum diu felicem sua portio. Et qui videtur dimissus esse, dilatus est. Et in hanc sententiam innumera. Sicut et apud Plutarchum περὶ τῶν βραδεῶς τιμωρουμένων: Hanc rationem DEUS sequitur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab iis exigunt, in quibus certior spes est. Et egregium illud apud eundem: Si qui mane peccavit, vesperi puniatur, tardum hoc non dices; at Deo seculum vel etiam plura secula pro die uno. Quam conforme illi Petri dicto de eodem argumento, 2 Pet. iii. 8.*

2°. Alterum autem quod huc spectans, disputaces homines vexat, ab iisque vexatur, est de humana libertate cum divina Providentia concilianda. De quo alias. Sed ad utrumque, et quicquid usque occurrat perplexi, illud oggererem S. Augustini, *Demus illum aliquod posse facere, et nos non posse intelligere.*

¹¹ De Gubern. Mundi.

Quam triste esset in mundo ἀναρχῶν vivere, et optimis certe ac innocentissimis hominum tristissimum. Non tanti esset natum fuisse in mundum κενὸν Θεοῦ, καὶ κενὸν προνοίας. Si nullus inesset rector, tunc certe sine omni fræno aut repagulo insaniret humana nequitia, et deglutirent protinus tenuiorem quemque potentiores,

——— Pisces ut sæpe minutos
Magna comest, et aves enecat accipiter.

Objiciter quidem hoc etiam apud Prophetam identidem fieri, *Hab.* 1. sed asseritur statim suprema illa potestas, quæ in mediis hisce ἀταξίαις habenas usque moderatur; et licet nonnunquam ista permittat, statuta tamen habet ἐπανορθώσεως tempora, quæ dum expectat justus, ex fide illa vivet, cap. 2. Egregii certe sunt isti Aristonis Iambi:

A. θάρσει· βοηθεῖν πᾶσι τοῖσι ἀξίοις
Εἴωθεν ὁ θεός, &c.

A. Animæquus esto. Nam solet dignos Deus
Juvare tales, qualis es tu maxime.

Quod decet agentes, nisi quid eximium ferent,
Oro, quid ultra colere pietatem attinet?

B. Utinam quidem id sit, sæpe sed video nimis
Ad sanctitatis regulam qui se exigunt

Premi miseriis; at quibus cordi est nihil

Privata nisi quod res et utilitas jubent,

Florere nobis melius. A. In præsens ita

Fit nempe; sed prospicere nos longum decet,

Et opperiri dum orbis in sese redit:

Haud namque vera est quæ tenet sententia

Plerosque prava, fortuitis lapsibus
 Hanc fluere vitam. Quod sibi viaticum
 Corrupta turba sumit ad mores malos.
 Sed et piorum facta mercedem ferent,
 Et impiorum scelera supplicium manet.
 Fit absque nutu quippe cœlesti nihil.

Quæ de Fato supremo omnia regente nonnunquam decinunt poetæ, sæpius DEO attribuunt, licet aliquando delirantes ipsum etiam Fato subjiciant, quemadmodum Stoici; sed utrisque, sub verbis quidem duriusculis, sanus fortasse erat sensus, qui per intervalla erumpit, cum DEUM pro suo beneplacito æterna lege omnia disponentem celebrant, et sic DEUM supremum, et cuncta gubernantem, nulli subjectum faciunt. Cui enim? sed ipsum quodammodo sibi ipsi, vel suis decretis; quod tantum, sane si intelligas, ipsorum σοφώτατον, eoque τὸ ἀμετάβλητον significat. Quin et quæ de Fortuna dicuntur, huc etiam redeunt: vel enim nihil significat vox ista, vel supremam Mentem libere omnia versantem significat: quod et egregii illi Menandri versus clarissime testatum dant:

Παύσασθε νοῦν ἔχοντες, οὐδὲν γὰρ πλέον
 Ἀνθρώπινος νοῦς ἐστίν, ἀλλ' ὁ τῆς τύχης.
 Εἴτ' ἐστὶ τοῦτο πνεῦμα θεῖον, εἴτε νοῦς,
 Τοῦτ' ἐστὶ πάντα καὶ κυβερνῶν, καὶ στρέφον,
 Καὶ σῶζον· ἢ πρόνοια δ' ἢ θνητὴ καπνὸς
 Καὶ φλήναφος¹², &c.

¹² [Edd. φλήναφος.]

Desinite mentem excolere, nam mortalium
 Nihil usquam mens est. Sola Fortuna imperat,
 Sive illa mens est, seu DEI illa est Spiritus:
 Gubernat certe quicquid est, agit, ac rapit;
 Prudentia hominum nubes, quisquiliæ meræ, &c.

Idem autem fortunam iis ac fatum fuisse, plurimis
 constat; cujusmodi est:

Πάντα τύχη καὶ μοῖρα, Περικλεες, ἀνδρὶ δίδωσιν.
 Fortuna ac Fatum, Pericles, dant omnia nobis.

Et utriusque nominis loco ἀνάγκης seu necessitatis
 vocabulum usurparunt. Sed omnia supremæ Pro-
 videntiae, licet minus commoda, nomina fuisse
 palam est. Euripides in *Alcestide*, ubi de fato
 seu necessitate pluribus cecinisset, tandem in illud
 sensum omnem resolvit,

Καὶ γὰρ Ζεὺς ὅ τι νεύσῃ,
 Σὺν σοὶ τοῦτῳ τελευτᾷ.

Etenim quicquid Jupiter annuerit sive decreverit,
 Tecum hoc perficit.

Et insignia sunt illa Homeri, II. xx.

Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἀνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε,
 Ὅπως κὲν ἐθέλῃσιν· ὁ γὰρ κάρτιστος ἀπάντων.

Jupiter autem virtutem viris augetque minuitque,
 Prout voluerit; ille enim potentissimus est omnium.

Et *Odyss. Lib. IV.*

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν
 Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἐκάστω.

Jupiter ipse distribuit felicitatem Olympius hominibus
Bonis atque malis, prout vult, unicuique.

Sentiamus itaque illum esse Patrem ; audeamus illi omnia credere, ab illo petere et poscere, ne quam aliam quæramus copiam. Hoc mitis ille pater *Terentianus* voluit ; multo magis noster cœlestis Optimus Maximus. Ac certe amore ac fiducia pia melius multo geruntur omnia, quam ignobili et servili timore ; et in hoc multum eique et nobismetipsis injurii sumus, quod non omnia in illo suavissima et benignissima cogitemus. Hoc solidum erit religionis et obedientiæ sacramentum, ubi de Patre nostro rite cogitantes ac credentes in illum recumbimus, eique ex amore servire studemus. *Ne sis puer insulsus in domo optimi patris, amans patrem si tibi blanditur, et odio habens quando te flagellat ; quasi non et blandiens et flagellans hæreditatem paret*¹³. Si providentiam hanc ponimus sapientissimam atque optimam, necesse est per omnia velimus quod ipsa vult ; alioquin libitum nostrum ei anteferimus, quod prodigii simile est. Optime S. Augustinus de vocabulo in Psalmis frequenti, *Recti corde : Si voluntatem divinam in quibusdam amplecteris, in aliis tuam malle, curvus es corde, et non vis curvam tuam voluntatem ad illius rectam dirigere, sed illius rectam vis ad tuam curvam incurvare.*

¹³ August.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA.



DE CHRISTO SALVATORE.

IN confesso est, pergratum esse, et nomini suo plane consonum, doctrinæ Evangelicæ præconium. O! quam est omni symphoniaco modulamine suavius lætum hoc nuntium, imo omnium quæ omnia prodiderunt secula lætissimum! O felices pastores, quibus de cœlo delatum est! Vos certe, sub nocturno frigore in agris excubantes, etiam regibus in lectis aureis stertentibus hoc ipso feliciores, quod supremi Regis, et ab æterno geniti, nova jam, et stupenda, et toti terrarum orbi salutifera nativitas vos primos salutaverit. *Ecce, inquit Angelus, evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; vobis natus est hodie Servator*¹. Et cui statim plenior Angelorum chorus, vobis etiam indicantibus, cœleste illud genethliacon accinuit, Δόξα Θεῷ ἐν ὑψίστοις, κ. τ. ε². Verissime,

Jam nova progenies cœlo demittitur alto, &c.³

¹ Luc. ii. 10, 11.

² Ib. v. 14.

³ Virg. Eclog.

Unde etiam et nomen ejus una demissum, *Vocatur nomen ejus Jesus; ipse enim liberabit populum suum a peccatis*⁴. *O dulcissimum nomen Jesu, inquit Bernardus; mel in ore, in aure melos, in corde medicina.* Is est qui nos tam miseros, sed et tam merito miseros, funditus tamen perire noluit. Nec solum carnis nostræ naturam, sed et peccati nostri personam induit: personam intelligimus ὑποθέσει νομικῆ, reatu nostro in illum transmissio, unde non solum legimus, *Verbum carnem factum*⁵, sed et, *Illum qui peccatum non noverat pro nobis factum peccatum*⁶: et ad Galat. iii. *maledictum*, ut in nos ab ipso proflueret æterna benedictio et beatitudo. Agnus ille DEI immaculatus peccatum in se devolutum tulit, et ferendo abstulit, et mortem moriendo devicit. Et quam admiranda est beneficiorum συμπλοκή! non solum carcere et morte nos eximit, sed et regno donat: secundum illud Psal. ciii. *Qui redimit a morte te, et benignitate ac misericordia coronat.*

Hæc certe perquam grata et læta esse auditu, neminem puto adeo ficulnea mente et asininis auribus esse, ut neget. At vero hoc est, quod de plerisque, nomine tenus, Christianis, istaque cum plausu passim excipientibus, non immerito suspicemur, iisque absque injuriæ nota dici posse, τί ταῦτα πρὸς σέ; Ampla quidem sunt hæc et mag-

⁴ Matt. i. 21.⁵ Joh. i. 14.⁶ 2 Cor. v. 21.

nifica, et omnes, quibus annuntiantur, ἀδιακριτῶς spectantia, ni abnuant ipsi, et felicitati aditum ambienti fores occludant; quod non solum facit magna hominum pars, sed et insuper fallaci spe sibi illudunt, ac si satis sit magna hæc potuisse audire, et ex prætervolante eorum sonitu se felices somniarent. At, O miseri! quo vobis immensas hasce divitias (non dicendum quidem, *si non conceditur uti*, sed hoc potius) *si quis non noverit uti?*

Verba itaque illa Evangelii animis vestris infixæ velim, *In mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit*⁷. *Ad suos venit*⁸, *et sui eum non receperunt: quotquot autem illum receperunt, iis hoc dedit, ut filii DEI appellentur.*

In illo reconditi sunt omnes sapientiæ thesauri: extra illum certe nil nisi vacuum; in illo siquidem *habitat omnis plenitudo*. At cui tamen bono de immensis hisce Jesu nostri divitiis aptissime et amplissime dicta audire passim, imo vel etiam dicere, ubi tanquam de alieno et extraneo disseritur bono, corde nondum ad illum intromittendum adaptato? Quid, quæso, pauperem juvaret, et seminudum, et cum frigore ac fame colluctantem, Fortunatarum, quas vocant, Insularum, et totius Indorum opulentia, et Novi Orbis cum aurifodinis suis, accuratissima descriptio? Hæc, inquam, si

⁷ Joh. i. 10, 11, 12.

⁸ εἰς τὰ ἴδια· velut in domum suam.

audiret, vel legeret, vel ipsi aliquis etiam lingua calamove non imperito graphice depingeret, annon illum sine dubio, ni ad ἀνασθησίαν usque desperet⁹, ex inani hac divitiarum specie ac imagine conspecta, tanto acrior inopiæ ac miseræ suæ sensus convelleret? Quod ad hunc autem de quo loquimur thesaurum, hinc magis incassum audientium et contemplantium ingravescit miseria, quod nullus eorum sit, qui non sponte sit miser, et *magnas inter opes inops*; nec sponte solum, sed et pertinaciter, et ex invicta insanaque erga miseriam suam indulgentia.

Quis enim, nisi mentis inops, oblatum hoc respuat aurum?

Ut breviter et aperte, quod res est, dicamus: ipsum in intima cordis sui penetralia recipienti *Christus noster est omnia*, non recipienti, *Nihil*. Qui enim dari potest, imo vel animo concipi, boni alicujus quantumcumque apti et ampli fruitio, absque illius aliqua cum egente unione? *Ecce*, inquit Psaltes, *qui a te, Domine, longinqui sunt, peribunt omnes*. Hoc ingens, hoc unicum generis humani bonum, DEO uniri: unicum autem hujus unionis medium est Jesus, quocumque accipias sensu, vere dicendus *Unionum Unio*; qui, quo aptius et arctius animas nostras DEO uniret, carni nostræ seipsum unire non dedignatus est.


⁹ [Suspikor desiperet.]

Magnum itaque, Juvenes, vitæ nostræ negotium est hæc, quam urgemus, Christi receptio, et cum illo Unio ἀδιάσπαστος. *Felices ter et amplius quos hæc irrupta tenet copula*, quam neque divellunt querimonix, nec vel supremus solvit eam dies; imo supra omnes dies hoc ipso supremus ille beatus est, quod supremum unioni huic det complementum, nec solum illam non dissolvat, sed et absolutissime perfectam ac æternam præstet.

Verum ut, interminabili illi vitæ coæva, sine fine duret, et in hac brevi fugacique vita initium sumat illa unio necesse est. Et quid obstat, quæso, quo minus nobis omnibus, etiam nondum adeptis, statim contingat? Cum benignissimus Jesus non solum ad se accedentem repellat neminem, sed non repellentibus ultro se offerat, et præ foribus se sistens introitum obnixè petat. O! quin sese *pandunt immortales hæc fores, ut Rex ille gloriæ ingrediatur*¹⁰, et in nobis regnet? Imo licet e longinquo et laboriose quærendus esset, quid moram nectimus, et quæ nos miseræ tenent catenæ, quo minus, excussis omnibus, etiamque nobismetipsis, extra nos egrediamur, et illum, usque dum occurrat, indesinenter quæritemus? De invento autem cum cœlesti Sponsa gestientes dicamus, *Prehendi illum, et nolui dimittere*; et tandem cum eadem beatam illam vocem adjiciamus, *Dilectus meus mihi, et ego*

¹⁰ Psal. xxiv.

illi. Et reciproca quidem semper est hæc proprietas. Nec quisquam vere Jesum recipit, quin simul totum illi seipsum tradat. Nec inter omnia quæ sectamur ulla datur huic comparanda synalaxis. Immensum est quod utrinque lucratur, non solum illius receptione, sed et nostri deditio: quamdiu hoc differtur, vilissima sumus mancipia: ubi se Christo quis tradidit, tunc vere liber est et sui possessor. Quid frustra vagamur? Huc ora, huc mentes convertamus; ut qui ex Patris et sui ipsius gratuita donatione noster est, noster etiam sit læta nostrum ac alacri receptione. Ut S. Bernardus ait ad illud Prophetæ, *Puer natus est nobis, filius nobis datus est: Utamur, inquit, nostro in utilitatem nostram.* Sic itaque noster sit κτήσει καὶ χρήσει, et nos pariter illius in æternum; nunquam scilicet immemores, quam care nos emerit.



PRÆLECTIO DECIMA QUINTA.

DE REGENERATIONE.

MUNDUM Platonici passim distinguunt in *αἰσθητὸν καὶ νοητόν*, alterumque alterius typum statuunt, resque sensibiles et spirituales eodem veluti sigillo impressas. Cui non absimile est, quod inter Judæos Cabbalisticæ doctrinæ magistri de *DEI Sephiroth* et sigillo mundos omnes permeanti disserunt; quibus forte affinia sunt Francisci *de Verulam* parallelæ, quæ vocat, signacula, et symbolizantes Schematismi. Et secundum hanc quidem hypothesin, parabolæ illæ et metaphoræ, quæ non infrequenter a rebus naturalibus ad illustrandas res divinas desumuntur, non erunt similitudines ad libitum prorsus confictæ; sed in natura sæpissime et rebus ipsis non parum habebunt fundamenti. Utut est, magna illa animarum in viva et vera ad DEUM conversione transmutatio per varias, easque insignes admodum, tum naturales, tum civiles, rerum *ἀλλοιώσεις*, in sacris literis adumbratur, per *liberationem a catenis*, et *carcere*, et *servitute*; per *transitum de regno in regnum*, *de tenebris in lucem*; per *reditum in vitam*; per *novam creationem*; per *conjugium*, et per *adoptionem*, et

regenerationem. Atque de ea, sub hac ultima figura, σὺν Θεῷ, pauca dicere statuimus, ad illa eadem Evangelistæ, quæ supra memoravimus, verba *Joh. i. 12. Quotquot eum receperunt, iis dedit privilegium* (seu *potestatem, ἐξουσίαν*) *ut filii DEI evaderent*; una cum Servatoris nostri verbis in eodem Evangelio, cap. iii. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum DEI.*

Hominis quidem si spectes tum originem, tum naturam, non injuria dicitur *DEI progenies*; secundum illud quod Apostolus in sua ad Athenienses brevi quidem, sed ponderosissima, concione ex Arato adfert, et approbat, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν. *Nam hujus progenies etiam sumus.* Et primus nostri generis parens, *Luc. iii. ult. diserte DEI filius* nuncupatur; non solum quod a DEO creatus, nullo patre homine genitus, sed etiam naturæ humanæ divina imagine impressæ respectu.

Atque hunc titulum insignem, velut ab alia omni natura corporea διακριτικόν, et cum angelicis spiritibus communem habet, qui et hoc nomine gaudent, *Job. i. 6. xxxviii. 7.* Verum quidem est, ut S. Basilii verbis utar, πᾶν τὸ ἐργαζόμενον ἔχει τινὰ τοῦ τέκτονος τύπον. Sic enim dicerem potius quam εἰκόνα. De solo autem homine dictum est, *Faciamus illum ad imaginem nostram.* Atque idem discrimen non incommode exprimunt scho-

lastici, (ut haecenus dictum,) reliqua scilicet DEI opera similitudinem habere vestigii, solum autem inter omnia visibilia hominem faciei seu imaginis similitudine insignitum. Qua quidem dignitate ad Angelos proxime accedit, licet illis inferior factus: est tamen hoc paulo tantum, βραχὺ τὶ παρ' ἀγγέλους ἐλαττώμενος¹, qui paulisper fuit inferior Angelis factus. Terreno quidem corpore brutis animantibus cognatus est, iisque paulo tantum superior, temperie scilicet et structura aliquantum lectiori, ceterum ex materia prorsus eadem, eque ejusdem magnæ matris gremio desumpta; udum nimirum et molle lutum est:

Ψυχὴ δ' ἐστὶν ἄημα Θεοῦ, καὶ μίξιν ἀνέτλη
Οὐρανίη χθονίῳ, φάος σπήλιγγι καλυφθέν².

Numinis est animus flatus, qui, cœlitus ortus,
Nexum terrena subiit cum carne jugalem.

Pars illa divinior a Spirituum Patre originem traxit, quemadmodum et flammei illi ministri corporeæ massæ non omnino inclusi; de quibus oraculum, ubi unam supremamque majestatem divinam fassum est, continuo subnectit,

— μικρὴ δὲ Θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Et secundum hoc quod in homine præcellit, quodque αὐτάνθρωπος et verissime homo dici meretur,

¹ Heb. ii. 9.

² Naz. De Anima.

nobile est et divinum animal; et quicquid leves
nonnulli inflatique homunciones de prosapia jactent,

Si primordia nostra,
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener extat³:

sin tristem ex crimine ruinam, degeneres omnes,
de tanto fastigio in ignominiam summam et pro-
fundissimum miseriarum omnium barathrum pro-
lapsi; a libertate scilicet illa et dignitate maxima,
in turpissimam simul et durissimam incidimus
servitutum; ex DEI filiis Satanæ mancipia facti:
et si cujusquam filii dici jam volumus, ex Apostolo
audiamus *υιοι ἀπειθείας καὶ τέκνα ὀργῆς*⁴. hæc etenim
ἀδιασπάρστως connexa, *fili contumaciæ, et filii iræ.*

Verum cum exitiali hoc lapsu benignitatis Fons
adeo egregium sapientiæ suæ opificium funditus
perire noluerit, ecquis ad imaginem reparandam
illo aptior, qui Patris imago est absolutissima? Et
ad homines, in filiorum DEI dignitatem, unde
exciderunt, reponendos, quis æterno Filio congruen-
tior? Nec pensum hoc detrectavit, sed e Patris
sinu egressus est, paterni amoris Filius, totius
universi hæres et Dominus, quem et celsissimi
Patris, et beatorum Spirituum omnium, et nunc
etiam, O quanto jure! humani generis *delicias*
appellemus; *Adam* secundus ideo dictus, quod,

³ Boeth. De Cons. Phil. lib. iii. Met. 6.

⁴ Eph. ii. 2, 3.

quæ in primo amissa sunt, per illum redintegrentur; qui, ut homines de integro *fili* DEI fierent, factus est ipse *filius hominis*. Stupenda dignatio! Utque omnes, qui aperto sinu illum amplexantur, in paternos redeant amplexus, nec dicantur *fili* iræ, ipse iram contumaciæ nostræ debitam subiit, et subeundo sustulit ac pacavit; flammisque illas ad nos eripiendos ingressus, emisso pretiosissimi sui sanguinis rivo, penitus restinxit. Atque iidem qui jam *fili* iræ dicendi non sunt, ne sint amplius *fili* contumaciæ, effuso desuper Spiritus sui rivo efficacissime præstat, purissimo scilicet illo Spiritu cordibus eorum ab affectu omni impuro et amore terreno repurgatis, ut ejusdem Spiritus ductu in omni alacris obedientiæ studio vitam transigant. Qui autem Spiritu illo DEI sic aguntur ac ducuntur, illos vere *fili*os DEI esse, non est ambigendum. Unde et *υιοθεσίας πνεῦμα* dicitur, quo magna cum fiducia DEUM *patrem appellant*, ut et inclamant.

Mirabilis autem hæc restitutio ideo passim *adoptio* vocatur, tum ut a naturali ac incomparabili Filii unigeniti dignitate illam distinguamus, tum quia nobis nullatenus ex natura contingit, sed ex gratuita prorsus donatione, eaque, mediante Filio unigenito, in nos derivata. Non est tamen quod inde colligamus honorifici tantum tituli rem esse et extrinsecæ, ut loquuntur, relationis. Quin imo non solum veram ac internam, sed magnam quidem et

ingentem animi humani totiusque demum hominis ἀνακαίνωσιν seu μεταμόρφωσιν conjunctissimam habet. Ea ipsa enim verba in hoc negotio adhibere Apostolum, *Rom. xii. 2.* invenietis. Imo quo magis innotescat, una cum filiorum titulo, illos vere paterno seu divino Spiritu donari, et interius imbui, παλιγγενεσία hæc, de qua agimus, adeo frequenter in sacra pagina occurrit.

Videtur quidem, si vitæ rationem spectes, vulgus hominum sub Christiano nomine degentium totum pene in hac hæresi esse, ut nomen hoc somniet, et præterea nihil. Remissionis sane gratuitæ, et justitiæ imputatæ, et dignitatis filiorum DEI, eique annexæ hæreditatis æternæ, doctrinam libentissime audit, et *densum humeris bibit aure vulgus*: sed resipiscentiam homini Christiano necessariam esse, et cor novum, vitamque novam, carnis et mundi contemptum, jejunia et preces, hæc dictu dura, perpressu aspera, σκληρὸς λόγος, καὶ τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; *Durus sermo, et quis potest eum audire?* at qui hæc non audit, ista non attinget.

Multa quidem sunt ab humana divinæ adoptionis discrimina.

1°. Non est hæc, ut illæ assolent, in ἀτεκνίας subsidium et solamen; habet enim DEUS benedictus Filium unigenitum πάντων ἀντάξιον ἄλλων, *cum omnibus ceteris æquiparandus*, eumque una

cum Patre immortalem; licet autem humilitate admiranda mortalis factus sit, imo et mortuus fuerit, revixit tamen, et in æternum vivit; a quo et in nos defluit felicitas, quam certe pura per illum gratia et munificentia Pater cœlestis nobis impertit. Ecquis autem est in quem collata sit, qui non ultro dicat,

Haud equidem tali me dignor honore⁵?

Eo tamen nos immeritos et indignos prorsus dignatus est æternus et immensus amor; et per hoc etiam ab hominum more recedit, qui dignissimos quosque eligere solent. Deus autem eligit indignos quidem omnes, nonnullos etiam indignissimos.

2°. Adoptio humana unius fere est, aut certe paucorum; divina autem numerosissimi agminis myriadum, ut, qui caput familiæ est, *Jesus primogenitus sit inter multos fratres*. Et

3°. Hæredes sunt omnes; inde et alibi dicitur, *ut multos filios in gloriam adduceret*. Neque ex hac hæredum multitudine ingenti imminuitur cuiquam eorum hæreditas. Est enim *hæreditas in luce*, singulisque tota contingit. Nec per mortem Patris in ejus possessionem veniunt filii, sed per suam cujusque mortem. Pater enim immortalis est, et, secundum Apostolum, *solus habens*

⁵ Virg. Æneid. 1.

immortalitatem, absolutissimam silicet et primam, et a seipso. Imo ipse est filiorum suorum hæreditas æterna, in cujus aspectum et amplexus beatificos non nisi moriendo transmigrant.

4°. Quod hic potissimum observatum velim; Adoptio hæc divina non est externi tantum honoris, nec etiam opulentiae et hæreditatis collatio; sed quam vera et interior simul ipsius hominis comitetur immutatio in alium prorsus quam prius fuerat; quod et de Saule in regem uncto memorat sacra historia. Hoc autem cum adoptio humana neutiquam præstare possit, merito illa quidem eligendi meritum intuetur: quem enim in filium sibi hominum quisquis adscivit, opulentissimus licet ac optimus, splendide certe vestire poterit, consiliisque et præceptis optimis instituendum curare; mores autem innatos aut assuetos efficaciter dedocere, animumque ingenuum, et fortem, et ad virtutem δέξιον ei intus formare, omnino non valet. Sed qui præcordia finxit humana, eadem et refingere pro libitu novit: et hoc reapse facit; ubi quenquam in regalem suam familiam cooptat, regios et divinos spiritus indit. Atque ita sat dignus, si quem dignatur amare, qui, quos non dignos invenit, ipse facit; viva veraque sua imagine exornat, sanctosque efficit, qui ipse sanctus est. Atque hinc est quod hæc adoptio cœlestis non minus apte et vere, nec minus etiam frequenter, in sacris literis παλιγγενεσία dicatur.

Licet autem hanc illo vestitam nomine doctrinam, Vir Judæus atque etiam inter Judæos Doctor admirandus exceperit; nec illis tamen omnibus, nec vel ipsis gentium philosophis insolens prorsus et inaudita fuit. Rabbi Israel, lib. *de Anima*, Proselytos vocat *recens natos*. Ea etiam quæ de Abrahami semine, et quæ apud Prophetas passim de numerosissima ecclesiæ prole prædicantur, ad spiritualem hanc generationem, eamque potissimum diebus Messię venturam, applicant tum ipsorum Rabbini, tum Chaldæus Paraphrastes; illud nempe *Ps. xlv. 16.* et *Ps. cx. 3.* ubi spiritualis ecclesiæ propago *rori matutino*, non tantum puritatis cœlestis, sed et multitudinis, analogia assimilatur. Tantamque fore narrant ex iis nonnulli Messię temporibus proselytarum sobolem, ut Circumcisionis ritu prætermisso, ablutione seu baptismate eos initiatura sit, et in gremium suum receptura ecclesia. De hac autem animorum renovatione diserte Philo Judæus, Ἀγένητος ὁ Θεός, καὶ τὰ σύμπαντα γεννῶν, σπείρει μὲν τοῦτο τὸ γέννημα τὸ ἴδιον, &c. De eadem morali seu mystica παλιγγενεσία, et sub hoc ipso quidem nomine, disserit Hierocles, aliique Pythagorici: quin et Plutarchus eam memorat, et τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ ἀτάκτου κόλασιν interpretatur. Et Seneca: *Nobilissimæ sunt ingeniorum familiæ; elige in quam adscisci velis: hac enim ratione nobis ad arbitrium nostrum nasci licet; nec in nomen tantum adoptaberis, sed et in ipsa bona.*

Ad hunc autem, de quo loquimur, titulum annon alludit solennis ille antiquorum mos heroas suos, et virtute præcellenti insignes viros, *Deorum filios* appellitandi? Atque quod de philosophis, hanc moralem seu metaphoricam παλιγγενεσίαν agnoscentibus, dictum usque adeo verum, ut etiam hinc ansam arripuerint figmentis suis olim hæretici, qui totam resurrectionis ultimæ doctrinam et fidem, sensum hunc unicum metaphoricum ei affingendo, evacuarunt⁶. Quod autem ad arbitrium nostrum nobis contingere hunc nascendi modum dixit Philosophus Romanus, licet certe non sine illo fiat, tamen ne illi in totum nec potissimum referatur, verius multo et purius hac de re nos instituit sancta nostra et Apostolica doctrina. *Jac. i. 18. Βουληθεῖς ἀπεκύησε ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας. Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Sicut etiam verba in Evangelio, ad ea ipsa, quæ prælegimus, continuo subsequuntur, *Joh. i. 13. οἱ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός, qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, nec ex hominis omnino arbitrio, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν, sed ex Deo geniti sunt.* Et quam aptissime statim adjicitur alia γένεσις, mirabilior certe et mysterii plenior, quæ tamen eadem est nostræ⁷ hujus παλιγγενεσίας radix et origo, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. *Et sermo ille factus est caro.* In hunc ipsum etenim finem

⁶ 2 Tim. ii. 18.

⁷ [Edd. nostra.]

carne nostram induit DEUS, ut suum nobis inderet Spiritum, quo nos, etsi natura jam vitiata carnales protinus facti, in *vitam novam*, spiritualem scilicet et cœlestem renascamur.

Singulari plane modo τῆς τοῦ θεανθρώπου γενέσεως auctor fuit Spiritus Sanctus, beatam Virginem inumbrando; ejusdem tamen Spiritus virtuti et efficaciam divinam novum suum ortum tota filiorum DEI progenies acceptum refert. Et certe, quemadmodum creatio nonnunquam generationis sortitur nomen, ut *Deut.* xxxii. 18. *Rupis, quæ te genuit, immemor fuisti*; et liber, qui a primo vocabulo Hebræis בראשית dicitur, Græcis Γένεσις inscribitur, et in antiquissimo *Lxx.* exemplari γένεσις κόσμου; et *Gen.* ii. 4. *Hæ sunt, inquit Moses, תולדות generationes cœli et terræ*; sic et e converso spiritualis hæc generatio creatio, et adjecto epitheto καινή κτίσις, *nova creatio*, nuncupatur; et eundem pariter habet auctorem maximum DEI ipsius Spiritum, qui olim erat מרחפת, aquis incubabat velut avis pullis suis, et, ut S. Basilius reddit, ἐπώαζεν. Sic et in conversione animis nostris incubat informibus et inanibus, ἀκατασκευάστοις, et qui nihil sunt quam תהו ובהו. Atque ex his tenebris lucem diemque educit, primum certe et pulcherrimum τοῦ πάντος ornamentum. Quo et Apostolus alludit, 2 *Cor.* iv. 6. Est itidem mortuorum resurrectio Spiritus DEI ζωοποιίου opus peculiare, eique diserte ascribitur ipsius

Christi resuscitatio, 1 *Pet.* iii. 18. *Nam et Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret, morte quidem affectus carne, vivificatus autem Spiritu.* Atque hic rursus recipiuntur nomina: nam et mortuorum resurrectio παλιγγενεσία dicitur, *Matt.* xix. 28. illud enim ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ τῶν δικαίων⁸, verbis sequentibus, non præcedentibus, omnino annectendum. Atque sic etiam Judæos consuesse loqui constat ex Josepho: Τοῖς ὑπὲρ νόμων διαφυλαχθέντων ἀποθανοῦσι ἔδωκεν ὁ Θεὸς γίνεσθαι τε πάλιν καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς⁹. *Quibus pro lege observata mori contigit; dedit Deus iterum nasci et vita meliore frui ex mutatione.* Similiter et Philo, εἰς παλιγγενεσίαν ὀρμήσομεν μετὰ τὸν θάνατον, &c. Hanc autem, de qua nobis sermo est, παλιγγενεσίαν spirituales resurrectionis nomine in sacris literis sæpius insigniri notissimum.


Est quidem resurrectionis hujus veluti tuba verbum Evangelicum; et genituræ hujus novæ adeoque ipsius immortalitatis semen immortale. 1 *Pet.* i. 23. *Jac.* i. 18. Ἀπεκύησε ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας. *Genuit nos verbo veritatis.* Vis autem hujus verbi vivifica et δύναμις πλαστικὴ a Spiritu Sancto derivatur, qui supremus est hujusce vitæ fons et scaturigo. Nec magis valent ultimæ hu-

⁸ [Sed verba τῶν δικαίων per errorem irrepserunt.]

⁹ Lib. i. cont. App.

manæ mentis ingenique vires ad hanc sibi instaurandam vitam, audito etiam Evangelii nuntio, quam se primo producere quisquam possit, aut nascendi sibi auctor esse, aut ubi denatus est, sese a mortuis revocare.

Ad hanc summam dignitatem admissi sunt humiles, tenues, obscuri, idiotæ, barbari, servi, peccatores, quos mundus habet pro nihilo, a quibus nihil exigitur præter sinceram fidem; non eruditio, non generis nobilitas, non legis Mosaicæ religio; sed quicumque cujuscunque conditionis sermonem hunc receperunt, his vicissim hoc dignitatis contulit, ut *fili* DEI *fierent*; i. e. quod Christus fuit per naturam, illi fierent per gratiam. Quid autem hoc honore sublimius, ut, qui prius erant *fili* Satanæ, *hæredes gehennæ*, per solam fidem *fili* DEI *fierent*, *Christi fratres*, *regniq[ue] cœlestis cohæredes*? Romanorum sacer ignis, si quando illum extinguere contingeret, non erat nisi ad solis radios accendendus. Vita certe animarum est sacra divini amoris flamma; ea nunc in hominum, prout nunc nascimur, genere duro, heu! nimis vere et misere extincta, non nisi de vivifico *Solis justitiæ*, nobis feliciter exorti, lumine et calore haurienda est.



PRÆLECTIO DECIMA SEXTA.

DE REGENERATIONE.

IMMANEM generis humani corruptelam, ac ingentiam in omnem nequitiam ῥοπήν, etiam ipsi gentium magistri et theologi, tum philosophi scilicet, tum poetæ, et noverunt et agnoverunt; licet quo *fonte derivata clades* hæc sit, penitus ignoraverint. Σύμφυτον εἶναι τοῖς ἀνθρώποις τὸ ἀμαρτάνειν, fatentur omnes; et ipse Philosophus vester, qui in scholis dominatur, nos ad vitia εὐκαταφόρους¹, *proclives*. Et de vitiorum illecebris loquens, hominem ex natura ait εὐθήρατον εἶναι ὑπὸ τῶν τοιούτων *a talibus facile irretiri posse*. Et Romanus Sapiens, *Ad vitia, inquit, non tantum pronum iter, sed et præceps*.

Et Comicus,

Δολερὸν μὲν αἰεὶ κατὰ πάντα δὴ τρόπον
Πέφυκεν ἄνθρωπος·

Res est plena dolis homo.

¹ Arist. Eth. ii.

Satirista,

— Dociles imitandis

Turpibus et pravis omnes sumus².

Lyricus,

Audax omnia perpeti,

Gens humana ruit per vetitum nefas³.

Huic autem malo, quanta potuerunt industria, sapientiores quique præceptis institutisque philosophiæ mederi conati sunt; sed quam frustra! Nec enim artibus suis omnibus et monitis alios meliores præstitere: imo, plerosque eorum si spectes, nec seipsos. Sed *cum nulla esset sapientia in terris*, inquit Lactantius, *missus est e caelo Doctor ille, via, veritas, et vita*. Qui, quod alii omnes frustra tentarunt, omnipotenti efficit facultate.

Hunc autem ipsum sibi proposuisse scopum philosophiam hominis refingendi, et ad sapientiæ virtutisque præcepta denuo formandi, indubium est. Unde et illam communiter definiunt, *Vitæ regulam, et recte vivendi artem seu scientiam*. Sic Seneca: *Philosophia lex est bene honesteque vivendi*. Eodem certe tendit vera religio, sed felicius multo et fortius; quippe quæ in illum finem, tum principiis altioribus multo, tum purioribus præceptis, instructa sit; vimque habeat divinam sibi conspirantem, qua præcordia humana summa cum

² Juven. Sat. xiv.

³ Hor. lib. i. Od. iii.

ἐνεργεία ac efficacia, et admiranda simul suavitate, penetret ac repurget. Atque hæc est, de qua loquimur, παλιγγενεσία. Quam rem, et sub eodem etiam nomine, philosophiam agnovisse diximus; effecisse autem penitus negamus. Hominis autem innovationem interiorem, eamque insignem, illam indicare ex ipso nomine palam est. Ejus autem auctor et Pater cum prædicetur DEUS, quicquid de virtutis moralis origine ultro citroque a philosophis disputetur, sacram hanc et religiosam hominis immutationem θεία μοίρα contingere non est ambigendum; quod etiam de virtute Platonem stituisse, nec vobis, ut puto, inauditum: Deique illam velut εἰκονισμόν et effigiem, imo inspirationis et naturæ cujusdam divinæ particulam esse, tum ille, tum alii diserte affirmarunt. *Nulla sine DEO bona mens est*, inquit Seneca. Et celebre est Pythagoricorum dictum, Τέλος ἀνθρώπου ὁμοίωσις Θεῷ. *Finis hominis est assimilatio Deo*. Trismeg. Περὶ νοῦ κοινοῦ πρὸς τατ. Οὗτος ὁ νοῦς ἐν μὲν ἀνθρώποις θεός ἐστίν, διὸ καὶ τινὲς τῶν ἀνθρώπων θεοὶ εἰσι. *Hæc mens Deus est in hominibus, atque idcirco nonnulli ex hominum numero Dii sunt*. Et infra, Ὅσαις ἂν νῦν ψυχαῖς, &c. *Quibuscunque igitur animis mens præsidet; suo illas fulgore illustrat, earum moribus malisque resistens: quemadmodum vero medicus eruditus ægrotantis corpus doloribus afficit, urendo illud atque secando recuperandæ valetudinis gratia; eodem modo mens voluptuosam affligit animam, ut radices voluptatis evellat: ab*

hac enim omnis animæ morbus: morbus animæ gravissimus impietas est.

Quid ergo mirum est, si hæc ipsa in divini-
bus S. Scripturæ oraculis clarius et uberius sonent,
et humanæ mentis ad puritatem divinam nova con-
formatio velut magnum religionis negotium et finis
passim memoretur?

Veteri ecclesiæ Judaicæ quid crebrius incul-
catur, quam illud, *Sancti estote, quoniam ego sanc-
tus sum?* Christianis autem idem studium deman-
datum constat, in prima illa quæ in Evangelio oc-
currit Servatoris nostri concione, qui ad hanc in
hominibus imaginem divinam restaurandam in ter-
ris descendit. *Estote, inquit, misericordes, sicut
Pater vester cœlestis misericors est.* Et secundum
Lucam, *Estote perfecti, sicut Pater vester per-
fectus est.* Et, *Beati puri corde.* Atque hæc
vera animi pulchritudo et nobilitas vera: degeneres
autem et deformes vitiis evadunt.

Quo magis autem mens ἀπὸ τῆς ὑλῆς βορβο-
ρώσας, a carne quam incolit, sese vindicat et
abstrahit, eo purior continuo et diviniior evadit,
Patri quippe spirituum tanto similior, et in θείας
φύσεως, ut loquitur S. Petrus, κοινωνίαν, *Divinæ
naturæ societatem* pleniorē transit. Hinc est
quod τὸ κατὰ σάρκα ζῆν, *secundum carnem vivere,*
velut animæ mortem, ac novæ Christiani hominis

naturæ perfectissime ἀντίθετον, tam fuse acriterque moneat S. Paulus, *Rom.* viii. Qui ex DEO genitus est, magno animo ea facile contemnit et nihili aestimat, quæ magni prius habuit: cælum ut patriam intuetur: in terra ut inquilinus degens, ad suprema totus aspirat, et

———— Udam

Spernit humum fugiente penna.

Et tamen cum tanta animi sublimitate profundissimam sociat humilitatem. Peccati autem illecebras omnes,

Etsi illis facies, quæ fuit ante, manet,

et sese forte, velut easdem quas prius carus habuit, objicere audent; indignabundus tamen repellet, *Vos eadem sitis licet, at ego certe non sum ego*; quod a juvene quodam jam converso amasiæ suæ olim familiari dictum refert S. Ambrosius.

Miram autem religionis hoc in negotio efficaciam eleganter explicat Lactantius: *Da mihi, inquit, virum qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis DEI verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam propriis plenisque manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis; jam cruces, et ignes, et Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis.* Tanta divinæ sapientiæ vis est, ut

in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat; sic totum hominem immutans, et expolito vetere novum redens, ut non cognoscas eundem esse. De diebus Messiae prædicatur, *Lupum cum agno recubiturum, et cum hædo pardalum*. Mira est Evangelii vis ad ingenia etiam asperrima emollienda, et

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
Huic modo doctrinæ patientem commodet aurem.

Hanc autem animi μεταμόρφωσιν, seu resipiscentiam dixeris, seu fidem, seu amorem divinum, eodem redit; hæc enim omnia, omnesque demum virtutes Christianæ, radice unum idemque sunt; integroque suo choro, quo nomine omnes virtutes morales adunavit Aristo Chius, veram animi ὑγίειαν efficiunt. Resipiscentiæ annectitur hæc filiatio, 2 Cor. vi. 17, 18. Adoptati autem et vocati per amorem insigniuntur, Rom. viii. 28. Hic autem, Jo. i. 12. per fidem. *Atque hæc est mutatio dextræ Excelsi*. De modo autem operationis hujus divinæ quæstiunculas excitare et multa anquisitius excutere, supervacuum sane, imo importunum est negotium. De abdita naturalis foetus efformandi ratione graviter monet Solomon, Eccl. xi. 5. quo et in ceteris DEI operibus nostrum arguat ἀβλεψίαν: quanto latentior et subtilior est, et ἀνεξιχνίαστος, *impervestigabilis*, plane spiritualis hæc generatio? Quod et docet Servator noster, adductis in similitudinem liberis venti incognitisque gyris, cujus

etiam meminit Solomon ibidem. Et O! utinam felicem motum sentiamus, licet modum nescientes; hoc probe cum sciamus, quod et scire et recogitare nostra tanti interest, *Nisi quis renatus fuerit, regnum DEI non videbit.* Rori etiam assimilatur hæc spiritualis progenies, cujus abdita est et impervestigabilis generatio. *Habetne pluvia patrem? et quis genuit guttas roris⁴? Lucis item filii* dicuntur homines sancti, et *Lux in Domino⁵*: ille autem *luminum Pater*, et Filius unigenitus *Justitiæ Sol⁶*, a quo stellæ hæ, DEI filii, (ut Angelorum illud etiam nomen sine injuria iis applicetur,) lucem suam mutuantur. Lucis autem subtilissima natura, ejusque emanatio ac productio, etiam perspicacissimis rerum naturalium indagatoribus adhuc in tenebris est, necdum satis dilucide explicata est. Quicquid autem sit, a primo illo et prolifico æternæ increatæque Lucis verbo producta est, *Fiat Lux.* Ejusdemque Patris verbo in mente humana, ignorantæ et errorum tenebris obsessa, exoritur confestim lux divina et immortalis, quæ hominum vita est; atque ea demum vera est regeneratio. Quæ quia summa est animæ purificatio, aquæ et Spiritui tribuitur; internus siquidem flaminis hic est baptismus ὁ τοῦ πνεύματος φωτισμός. Quemadmodum et antiquis baptismus aquæ propter Spiritus concursum φωτισμός dici consuevit, et solennia hujus

⁴ Job. xxxviii.

⁵ 1 Thess. v. 5.

⁶ Eph. v. 8.

mysterii celebrandi tempora *Dies Luminis*. Atque eadem plane ratione baptismus Spiritus, *baptismus ignis* a Johanne Baptista nuncupatur; ob ingentem scilicet tum illuminandi, tum purgandi efficaciam. Ignis certe cœlestis est, oculisque nostris impervius; ejusque subtiles in animos illapsus investigare fas non est. Summa hæc est.

Visum est sapientiæ et bonitati infinitæ egregiam e luto monetam cudere, et imagine sua insignire, cum hac ἐπιγραφῇ, *Terrestris DEI filius*: hoc est quod *Hominem* appellamus. Sed heu! quam cito in lutum relapsa hæc moneta, et veram illam imaginem et inscriptionem eximiam turpiter deletam amisit! Dehinc homo, divinum nuper animal et Angelus ἐνσαρκωθείς, jam solus σαρκικός et vere brutum evasit: nobilis et cœlestis hospes Anima, jam carni penitus immersa et quasi carnea facta, ac si lethen bibisset; aut veluti puer clara quidem stirpe ortus, at miseræ suæ præsentis, et amissæ felicitatis ac libertatis prorsus inscius, (in infantia tenerrima scilicet in longinquum abreptus,) servile sit mancipium, ad officia et ministeria vilissima detrusum, quæ jam veluti συμφυέστατα obit, eo quod nativæ suæ excellentiæ et dignitatis recognitionem omnem sensumque exuerit, et originis suæ oblita sit: nil nisi terram sapit, τὰ ἐπίγεια φρονεῖ, et præsentibus inhians bonis, æterna, velut ignota prorsus et extra conspectum posita, nil pensi habet. Si quibus autem vel ex tenuis-

sima nobilitatis innatæ scintilla intus agitante, vel ex confusa aliqua fama ad ipsorum aures delata, motus aliquis stimulusque optandæ libertatis subor-netur ; cum tamen ad illam recuperandam nec via pateat ulla, nec vires adsint, in nihilum recidunt vota inania, et infelix anima, spe abrepta, languet, et catenis suis intorpescit.

Philosophia quidem, ut dictum, hominem ad altiora natum sentiens, illum humo tollere, et cœlo asserere, Deoque assimilare conata est ; sed frustra. Ad filios hominum redimendos et restituendos Filium æternum Dei de cœlo descendere necesse erat. Facillime lapsi sumus, sed immensæ molis dextraque divina dignum opus nostra hæc instauratio magna: pauci, quos summus amavit spirituum Pater, evexit Christus ad æthera. Ille fons Divini Spiritus in nos defluentis, novæque vitæ ac naturæ melioris, qua ad Deum assurgimus, quaque *superata tellus sidera donat*. Et felices certe vereque nobiles animæ, quibus sic renasci contigerit, sanctorumque Angelorum choris inseri, et stolis nive candidioribus indui. Sequentur illæ Agnum quocunque ierit, qui ad rivos crystallinos ipsumque vitæ fontem eas deducet.

Et quicumque in beatis illis patriæ cœlestis pascuis Agni comites futuri sunt, etiamnum in his terris degentes, humilis illius innocentiae et puritatis sequaces sint necesse est. Ille *Agnus imma-*

culatus, Agnus sanctus, Agnus castus, Agnus DEI; Idem dux et pastor est casti, sancti, ac DEO cari gregis, *formosi pecoris custos formosior*. Lascivos autem hircos et immundos porcos procul habet, et impuris spiritibus possidendos ac pro libitu in profundum præcipitandos relinquit, nisi si quos ex iis mira et divina plane metamorphosi fœda illa specie exutos liberare, et in agnos convertere, statutum sit; quod quidem Spiritus sancti ingressu plane conficitur. Unde sancti, divini, DEIQUE filii dicuntur; terræque amor ac carnis, et affectus impuri omnes, penitus a pectoribus illis, velut templis DEO sacratis, exulant: ἀγνοῦ γὰρ ἀγνόν ἐστιν οἰκητήριον. *Sancti enim sanctum est domicilium.*



PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA.



DE VERA FELICITATE ET PŒNA ÆTERNA.

O QUAM insipidæ et rancidæ sunt omnes terrenæ hujus, quam degimus, vitæ deliciæ, præ hac una incomparabili et cœlesti prorsus de divinis cogitandi et disserendi voluptate! Et nos mortales ubi in his versamur, vere panem comedimus Angelorum, cujus dulcedo quibus non sapit, iis certe divinior sui pars plane obbruit, et, originis suæ oblita, sordibus et cœno sepulta jacet. Verum ne sic quidem adeo se totam exuit, quin aliqua adhuc cognati cœli et altioris naturæ semina retineat; quatenus caducis hisce, quibus circumdata est, acquiescere et satiari omnino non possit, nec in plenissimo rerum omnium terrenarum apparatu sese tranquillam et felicem sentiat. Et licet forte, quid sibi desit, nondum clare perspiciat, aliquid tamen usque deesse non sine languore et cruciatu persentiscit. Desunt quidem, præter unum illud magnum et ignotum Bonum, multa etiam alia vel iis, quos vocis abusu felicissimos vocamus. Quemcunque enim terrenæ sortis splendorem paulo penitius introspeciamus, aliquid certe mutili et claudi deprehendemus.

——— Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa viro: quem corpus honestat,
Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit, &c.

Bonum autem hoc, quod ultimum et supremum vocamus, si quod aliud, integrum sit et defectus omnino expers necesse est; ideoque quod omni ex parte beatum non est, pure et proprie loquendo, omnino beatum non est. Divitum illa et magnatum, quam suspiciunt pauperes et mirantur, felicitas, bracteata tantum et splendida miseria est. Quod de vulgo, sanctorum vitam intuente, et temere ac inepte judicante, ait Bernardus, *Cruces nostras vident, unctiones non vident*; hic invertamus: hominum ambitione vel divitiis elatorum unctiones videmus, cruces non videmus. *Utinam*, inquit quidam, *utinam qui divitias appetunt, cum divitibus deliberarent; certe vota mutarent.*

Nolo ego humanæ in terris miseræ vel describendæ, vel lugendæ, ulterius immorari: quorsum? Nam fingatur sublunarium bonorum chorus integer, et perfectior, quam sol unquam vidit, terrenæ felicitatis idea: deglutiret hanc illico humana mens, et aliquid ultra tanquam vacua et esuriens appeteret. Et hoc quidem indicio sese prodit animæ humanæ ingenita nobilitas et dignitas, quod ei satiandæ et beandæ imparia

sint omnia, capaciorque sit et amplior, quam ut visibili hac machina expleri possit. Nam ut S. Augustinus, *Fecisti nos, Domine, propter te, et inquietum est cor nostrum donec ad te redeat.* Illuc sese recipiens animus, ubi multum est *terra jactatus et alto*, placida quiete et securitate fruitur; iisque solis, qui ad hanc fidam stationem et *καλὸν λιμένα* appellunt, vere contingit, quod ille vere magnum esse pronunciat, *habere fragilitatem hominis et securitatem DEI.*

Merito igitur Regius Psaltes nec victorias suas, nec coronæ suæ regium splendorem jactat, sed hoc uno gloriatur, *Dominus portio prædii mei, et poculi mei; tu sustentas sortem meam*¹; et continuo, idque jure optimo, adjicit, *Funes acciderunt mihi in amœnis, et elegans est possessio mea.* Et rationi omnino consentaneum est, ut quod aliud perficit et beat, ipsum perfectius et beatius sit: adeo ut mentem humanam nec fas sit in bonis terrenis, quæ omnia longe infra ipsius dignitatem subsidunt, nec in seipsa beari. Imo nec Angeli, quantumlibet perfectioris et sublimioris naturæ, vel homines vel seipsos felices præstare possunt, sed tam illi quam nos in mente illa æterna, quæ sola sibi sua felicitas est, felicitatem nostram repositam habemus; nec alibi nos illam reperire possibile est, quam in unione cum prima

¹ Ps. xvi. 5, 6.

illa sapientia et bonitate, unde ortum duximus. Facessat itaque omnis philosophorum etiam optime concinnata et ficta felicitas; ficta enim tantum est tam Aristotelica virtutis perfectio, quam sapiens Stoicus. Nec quicquam sunt nisi somnia et figmenta in Utopiam releganda: cum nec inter homines reperiatur usquam quod depingunt, et, licet daretur, felicitatem tamen non compleret. Eatenus quidem probandi sunt, quod ab externis animum ad se revocant; sed in hoc deficiunt quod intro ad se reversum altius non dirigunt, nec, ut supra se ascendat, docent. Ab iis quidem nonnunquam excidunt hujusmodi voces, *Nullam posse esse sine DEO bonam mentem*, eamque, ut beata sit, ad divina erigendam: et Aristoteles, Ἄρα ὁ σοφὸς θεοφιλέστατος, καὶ διὰ τοῦτο εὐδαιμονέστατος. *Nempe sapiens Dei amantissimus et propter hoc felicissimus*: sed hæc in transcurso et obiter tantum dicunt. O! quanto clarius et plenius magnus ille Doctor, cælo demissus ab alto, *Beati puri corde, illi enim videbunt DEUM*².

Verum quia sanctorum in terris peregrinantium etiam purissimæ mentes aliquid usque terrenæ fæcis admistum retinent et puritatem perfectam non attingunt; ideo necdum perfectam habere possunt visionem, et in ea sitam beatitudinem. Vident tantum δι' ἐνοπτροῦ καὶ ἐν αἰνίγματι, *per*

² Matt. v. 3.

*speculum et per ænigma*³, sed lucis hujus subobscuræ beneficio gressus dirigunt, et progrediuntur alacres ac indefessi; aderit optatus ille dies, qui eos in lucem plenam emittat. Dies enim ille, quem homunciones seculi tanquam extremum reformidant, hi lucis filii, ut æterni natalem, avidi exoptant, et læti, cum venerit, amplectuntur. Atque hoc quidem nobis visum est futuri seculi et immortalitatis validissimum argumentum. Cum nulla reperiatur in terris plena et suis numeris absoluta felicitas, certe vel illa nullibi sit, vel nos alibi nobismet simus superstites, necesse est. Et O! tardi nos et segnes, et ὀλιγοπιστοί, qui beatæ illius patriæ tam raro et tam frigide recordamur; idque in terra hac arida et siticulosa, ubi et illi, quibus datur esse tam beatis, guttulas tantum supernæ illius dulcedinis prælibant; sed hinc migrantes, *inebriabuntur, Domine, ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*⁴. Sic loquitur divinus Psaltes; et mirum certe est hujusce rei eandem prorsus umbram, seu figuram, magno illi et antiquo philosopho Pythagoræ in mentem incidisse. Ille enim discipulis suis probe vitam instituentibus in vita futura pollicitus est μέθην ἀένναον, *ebrietatem perpetuam*.

Sed quicquid de hac futuri seculi felicitate vel antehac diximus, vel de novo rem tractantes dice-

³ 1 Cor. xiii. 12.

⁴ Ps. xxxvi. 8.

remus, balbuties mera est. Nec tamen pueros ullos dedecet de patris sui dignitate et hæreditatis suæ divitiis vel balbutiendo loqui. Dulce et decorum est de patria loqui, etiam peregrinantibus. Sed ab hoc mihi inpræsentiarum temperabo, et tabulam vertam, et oppositæ pœnæ speciem, miseræ scilicet futuræ transeuntem tantum umbram vobis exhibebo; quæ quidem licet injucunda sit, certe inutilis tamen, nisi ex incuria nostra, non erit.

Hoc autem nosse primum oportet, in hac vita sicut nulla est plena felicitas, ita nec dari perfectam miseriam. Habent, etiam quos hic vocamus miserrimos, multa miseræ suæ intermixta levamenta; futura autem miseria purissima est, et tota homogenea, nec vel minimam boni minimi σύγκρασις habet. Næ enim illi cum rationibus suis insaniunt, qui hic τὸ εἶναι memorant, et optatius habendum *miserum esse quam non esse* contendunt. Quod nec cuiquam hominum, nec sibi ipsis serio agentibus, illos persuadere posse persuasum habeo. Ab æterno autem illo et horrendo carcere exulare omnes delicias, certissimum est. Nulla ibi lux, nec dies, nec somnus, qui noctis beneficium est: et vere nil nisi loca *pallidula, rigida, nudula*; nulla convivia, nec comestationes, nec voluptas ulla sensibilis, a quibus omnibus æternum avelli non exigua miseria est, iis præsertim qui inter istiusmodi lætities dies suos

transigere soliti erant, eoque sese aliquatenus felices somniabant; et quo magis angat horum meminisse, recurret usque hæc recogitatio, et hærebit tanquam vermis exedens viscera, se amore insano gaudiorum fugacium, quæ jam sine omni spe revertendi evolarunt, cœlestia et æterna gaudia amisisse: quorum qualem quantamque notitiam miseri isti ad illorum cruciatus incrementum tunc habituri sint, nostrum non est definire. Summum autem illud miseræ caput, rivos illos sulphuris, æternasque iræ divinæ flammæ, quis enarrare tentabit; quin potius horrescat, non dico referens, sed recogitans, et tremens totus obruatur?

Et ne ulterius coner τὰ ἀλάλητα λαλεῖσθαι, et *magna modis tenuare parvis*: Ecce jam, cari Juvenes, hæc si creditis, Ecce, inquam, vitam et mortem ob oculos habetis, eligite. Et ne moras nectatis, animo hæc, quæso, revolvite, et colloquium vobiscum dicite intra vos de evanidis rerum exteriorum umbris; quamdiu hæc? O! quam cito transibunt! Etiam dum hæc loquor aut cogito, prætervolant. Adversis premitur quisquam? Dicat alacri animo, cum sancto illo viro, *Domine, hic ure, cæde, modo ibi parcas*. Est aliquis inter vos ingenio tardus, et lingua infacundus, aut in re tenui, aut corpore claudus, aut deformis? Dicat secum, Parum refert; brevi ex hoc domicilio (idque in *sedes descriptas piorum*, modo et ipse pius sim) migraturus sum: hoc ille ne se animo de-

jiciat, et tristetur nimis. Si quis autem acutior, aut formosior, aut ditior, idem et ille repetat et recogitet, quam cito omnis ejusmodi *ὑπεροχὴ* abolenda sit, ne se efferat aut infletur. Huic uni curæ omnes incumbite, ut opera tenebrarum fugientes, exteriores illas et æternas tenebras effugiatis; Lucemque illam divinam, quæ de cœlo affulsit, læto apertoque pectore excipientes, vos ipsos, hoc corporis carcere solutos, plenæ illius et beatæ lucis palatia excipiant.



PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA.

DE RELIGIONE CHRISTIANA; QUOD VERA SIT
AD FELICITATEM VIA.

FATEOR, Adolescentes, mihi sæpius recogitanti, magnam semper humanæ socordiæ et amentiaë incidere admirationem. Cum enim provide et prudenter res nostras disponere, vitæque rationem consilio instituere, eximium ingenii nostri, quo a brutis animantibus secernimur, munus esse et decus gloriemur; quam pauci tamen sunt, qui ex hac parte sese homines præstent, qui scopum sibi figant, et tum demum quæ agunt omnia eo colliment? Omnino pleraque hominum pars ineptia plusquam puerili pictos venatur papiliones; *aut passim sequitur corvos saxisque lutoque*: et qui vitam etiam in seram senectutem protrahunt, hoc tantum ut plurimum lucrantur, ut dici possint *παῖδες πολυχρόνιοι*, æque scilicet ignari, et quorsum vixerint, et quo vadant exituri. Digna itaque est, si quæ alia, quæ vobis, humanam (rationalem intelligo) vitam quasi jam tantum ingredientibus, in ipso limine aggeratur quæstio: Quo tenditis? Cui bono? In quem finem victuri estis? Hinc enim fieri potest, ut ad boni illius

supremi studium intus vobis accendatur animus, nec in hac re, tanquam in problemate τῶ τυχόντι logico vel philosophico, frigida speculatione versetur; sed ut in quæstione de re omnium maxima, et quam scire nostra maxime interest, ubi de summo præmio ac periculo certamen ineundum est.

Et hac quidem spe, de hoc supremi boni seu felicitatis argumento, post varia licet intervalla, aliasque de aliis exegeset et paræneses interjectas, methodo tamen aliqua orationisque filo cohærente, apud vos multoties verba fecimus; de nomine ejus et notione communi, de appetitu et voto hominum, quo in illam feruntur, universali, deque non minus universali, naturali scilicet, in ea investiganda cæcitate et errore: unde cum extra viam currant, quo citatiore gradu illam sectantur, eo longius ab ea removentur, et tanquam remiges in cymba, alio spectant, alio deferuntur. Et licet hoc pene supervacuum visum fuerit, cum res ipsa se satis demonstraret et clamet; brevi tamen facta recensione, et summa rerum fastigia secuti, felicitatem nostram nec in terrenis, nec omnino in terris, reperiri probatum dedimus. Imo hoc ultro fatentur omnes tum stulti, tum sapientes; nec solum se invicem infelices pronuntiant, sed et quoad hanc vitam ex utrisque singuli seipsos tales esse reipsa comperiunt: quin et in sententiam illam tritam, si nihil esset ulterioris prospectus, omnes omnino homines con-

sensuros putem, *vitam hanc, si scientibus daretur, neminem accepturum*¹. Huic autem considerationi ἀκόλουθον prorsus et connexum est, quod idcirco proximo loco adjecimus, animarum immortalitatem asserere. Pauca denique de seculi illius futuri tum felicitate, tum miseria, quatenus ἄγνωστα illa scire et ἄρρητα effari tenuitati nostræ concessum est, disseruimus.

His autem qualitercunque tractatis, sequitur de via inquirere, quæ ad hanc urbem beatam, seu felicitatem in cœlis repositam, recta ducat. Atque sic ab hoc articulo, magno scilicet vitæ nostræ scopo, spe, et solamine, commodissime initium sumi vel catecheticae vel cujuscunque demum methodicae doctrinae theologiae, et ratio comprobatur, et exempla: per hanc enim quæstionem statim in totam veræ religionis doctrinam deducimur. Et sic etiam incipit vulgata quæ vobis in manibus est Catechesis: *Quæ est unica tua consolatio in vita, et in morte?* Alia etiam, quæ non ita pridem hujus Academiae propria erat, *Quæ est unica ad veram felicitatem via?* Hic enim totius Theologiae proprius et genuinus finis est, supremo certe omnium fini, gloriæ divinæ, ὑπάλληλος, humani generis salus seu felicitas; per quem idcirco Theologia aptissime definiri videtur: nec quenquam tam infirmi esse ingenii suspicabor,

¹ Seneca.

ut ea ratione, illam potius Anthropologiam, quam Theologiam, dicendam conclusurus sit. Licet enim de felicitate hominis non solum agat, sed eam, ut dictum, pro scopo et fine habeat, jure tamen optimo multisque nominibus nomen illud sublimius obtinuit. Est ab auctore DEO, quem frustra, nisi ipso semet revelante, etiam sagacissimi hominum invenire tentarent, æque ac si solem de nocte accensis lucernis quærerent. Ille enim, sicut et hic, non nisi suo ipsius lumine cernitur: non potest DEUS nisi per DEUM intelligi. Quod et egregie Sophocles:

Ἄλλ' οὐ γὰρ ἂν τὰ θεῖα κρύπτοντος Θεοῦ
Μάθοις ἄν, οὐδ' εἰ πάντ' ὑπεξέλθοις σκοπῶν.

Divina nunquam quæ condunt Cœlites
Disces, tametsi cuncta vestigaveris.

Nec solum auctorem DEUM doctrina hæc sancta, sed et eundem pro subjecto habet, etiamque pro ultimo fine; quippe cujus cognitio et cultus totam religionem complectitur, ejusdemque visio totam felicitatem: felicitas autem illa in bonitatis et gratiæ divinæ gloriam ultimo resolvitur.

Theologiam itaque breviter et perspicue sic definirem: *Doctrina divina hominem ad veræ felicitatis metam, per veræ religionis viam, dirigens et perducens.* *Doctrinam* voco: nec enim ut ha-

bitum in mente, sed ut veritatis cœlestis summam intuemur. *Divinam* appello, omnes dictas involvens rationes: quod nimirum et a DEO, et de DEO sit, et in DEUM tota terminetur. Hominis autem directricem dicimus; de illa² enim sola, quæ nobis in hunc finem e cœlo descendit, sermo est. Ut quid igitur illæ distinctionum ambages, sonoræ quidem, sed a re prorsus alienæ, Theologiam dividentes in Archetypam et Ectypam, in Theologiam viatorum et comprehensorum? Illa enim quam Archetypam vocant, quam incommode Theologia nuncupatur, quæ DEI ipsius *ἀντιστοιχία* est! Comprehensorum autem, quam vocant, Theologia *θεοψία* potius dicenda. Hæc, quam quærimus, est *Lux oriens ex alto, quæ nos viatores invisit in tenebris et umbra mortis degentes, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*³. Pax illa felicitas vera est; via autem pacis, vera Religio. De qua in præsentiarum pauca et breviter. Hoc primo recognoscite, hominem non esse animal *ἄνομον*, sed et legis capacem esse, et legi actu subjectum. Quod quidem nil indecori, nil duri sonat; imo non solum nulli oneri est, sed et honori maximo, illa subjectio. Religionis et legis capacem esse, intelligentis et rationalis animi character est et decus, quo brutis præcellit, imaginemque divinam et commercium

² [Edd. *illo*.]

³ Luc. i. 79.

cœli signanter indicat; actuque ipso sub religionis et legis illius norma vivere, vitam humanam apprime honestat ac ornat, et ab incompositis ferarum moribus distinguit.

Ἰχθύσι μὲν, καὶ θηρσί, καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς,
Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς·
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη
Γίνεται⁴.

Fit fera namque feris, et piscis piscibus esca,
Alitibusque ales; nullo quia jure tenentur:
Ast hominum generi data lex præstantior æqui.

Se invicem sine lege, eoque sine culpa, devorant animantia; homines autem, ut ait Juven. *Sat.* xv.

—————Venerabile soli

Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti,
Sensum a cœlesti demissum traximus arce.

Atque hinc quidem sub lege ac religione aliqua naturali et æterna nati sumus. Cum enim nos intellectu et mente donaverit Conditor noster in secula benedictus, hac ipsa in istum finem aptata facultate; certe ad æternum illum nostri *esse*, et rerum primum omnium, omnisque boni fontem, agnoscendum, amandum, mandatisque ejus

⁴ Hesiod.

omnibus obtemperandum, irrefragabili lege tenemur. Atque sic in hac eadem lege naturali, legis omnis divinæ positivæ, quam adjicere illi visum est de religione et justitia colenda, obligatio firma et observantia debita fundatur. Quocirca ubi symbolum illud obedientiæ probandæ institutum, mandatum scilicet de fructu vetito, transgressi sunt primi nostri parentes, eo ipso facto primam illam summamque legem, legumque omnium et religionis fundamentum, fœdissime violarunt.

De restitutione nostra per Messiam nostrum, Filium DEI Creatoris unigenitum, jam dicere non vacat. Hujus tantum ad institutum nostrum meminisse expedit, magnum illum Redemptorem nos quidem a mortis et peccati catenis liberasse omnibus; religionis autem legisque perpetuæ vincula nullatenus solvisse; imo multis rationibus per illam ipsam redemptionem ea corroborasse: eorumque, Spiritus sui viribus infusis, alacriorem observantiam partem magnam esse regalis illius filiorum DEI, in quam per illum asserimur, libertatis; per cujus vestigia ad plenam in regno cœlesti repositam libertatem progredimur. Hæc est itaque, quam quærimus, ad felicitatem via, vera scilicet religio; ea autem unice Christiana est.

De cujus et veritate et excellentia complures habetis admodum eruditos scriptores, tam antiquos quam recentes. Et O! quam sua luce claret

hæc veritas, quod scilicet inter omnes, quas unquam novit orbis, *θησκειας*, hac nostra qua gloriamur Christiana, et qua in mediis ærumnis beati sumus, nulla sit quod ad historiam certior, quod ad mysteria sublimior, quod ad præcepta purior et perfectior, quod ad ritus denique et cultum gravi simplicitate venerabilior; imo quod hæc sola sit per omnia omni certamine et comparatione major. Reliquum est, Adolescentes,—quid putatis me dicturum? Reliquum est, ut *Christiani simus*. Iterum repeto, si felices esse volumus, *Christiani simus*. Dicetis, Quam facile votum est! habes quod optas; ecce! *omnes sumus Christiani*. O utinam! Nolo ego hanc litem cuiquam movere; sed brevi examine rem poterit unusquisque intra se expedire, in quo testis sit ipse et iudex. Christiani omnes sumus. Esto. Sed an pauperes spiritu? An humiles, et mites, et puri corde? An indesinenter oramus? An nostri Servatoris cruci omnes carnis nostræ concupiscentias affiximus, *non ultra nobismet ipsis viventes, sed illi qui pro nobis mortuus est?* Atqui hoc est esse Christianum, teste hoc ipso, quod Christi esse agnoscimus, Evangelio. Et qui ab his studiis prorsus alieni sunt, certe nondum norunt *Viam pacis*. Illos hortor et obtestor, sese excitent, et torporem excutiant, ne vilissimæ huic carni indulgentes æternam animarum jacturam faciant. Si qui vero ex vobis sint, et credō equidem nonnullos esse, qui toto animi affectu ad has Christi virtutes, et

per eas ad regnum illud ἀσάλευτον, *inconcussum*, aspirant; *Fortes estote in Domino, et succincti lumbis, ac sobrii sperate usque in finem.* Nunquam vos hujus sanctæ militiæ poenitebit, ubi pugna tam brevis, et victoria tam certa, corona autem triumphalis et pax insequens æterna.

PRÆLECTIO DECIMA NONA.

QUOD SANCTITAS UNICA SIT IN TERRIS FELICITAS.

MAGNUM quidem est quod ascendimus iter, sed et magnum illud gloriæ βραβεῖον, quod ob oculos habemus; et magnus fortisque Dux noster, qui in altum¹ jamdudum ascendit, vires suppeditat; et si quando nobis labascit animus, illum suspiciamus; et secundum divinum illud Epistolæ ad Hebræos, xii. 2. monitum εἰς Ἰησοῦν ἀφορῶμεν, ab omnibus inferioribus et intermediis aspectum amoventes, ut in sublimi raptus in illum figatur; quod et illud ἀφορᾶν denotare videtur: tunc quæcunque in via difficillima carni nostræ ignavæ et molli sunt, Spiritu illo Christi sublevati facile superabimus. Et licet non sit ad astra mollis e terris via, ipsa tamen ejus asperitas sic accensos et suffultos oblectabit. Inest enim, ubi forti animo occurrunt, etiam difficilibus et arduis sua jucunditas:

— serpens, sitis, ardor arenæ

Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris;

Lætius est, quoties magno sibi constat honestum².

¹ [Edd. *altam*.]

² Lucan. lib. 9.

Et certe si quæ de civitate illa magnifica dicta sunt, apud nos fidem obtineant, eo alacres progrediemur, nec ulla nos terrebit viæ difficultas. Nihilominus tamen, cum et verum sit, et infirmis nostris mentibus ad præsentia et propinqua magis intentis aliquanto accommodatius, silentio certe prætereundum non est, felicitatis in cœlo repositæ ipsam etiam pertranseundam in terris viam non solum optatissimi illius finis intuitu, sed et seipsa et ob innatam suam dulcedinem, omni alii vitæ rationi, quæ vel eligi vel cogitari potest, longissime anteferendam. Imo ne μικρολογία rem tantam et tam conspicuam minuamus, sanctitas illa et religio vera, quæ ad supremam felicitatem recta ducit, ipsa etiam est, quanta in terris datur, unica felicitas. Habet quidem quicquid ad aliud quippiam consequendum aptum natum est, aliquid cum eo symbolici. Hæc autem perfectæ felicitatis via, si quod aliud, medium est suo fini συμφυέστατον, *connaturale*; imo vero illius pars quædam et inchoatio, gradu potius ab ea quam specie diversa. Adeo ut eadem in sacris literis sortiatur nomina, ut in sententia illa, *Hæc est vita æterna, te ut cognoscant unicum verum DEUM*³, i. e. unica ad vitam æternam via, cum et eadem cognitio, consummata scilicet, seu plena et fruitiva DEI visio, ipsa sit vita æterna. Nec aliter distinguit hæc duo divinus Apostolus: *Nunc, inquit, videmus*

³ Joa. xvii. 3.

*per speculum in ænigmate, tunc autem coram videbimus, seu, ut ille loquitur, facie ad faciem. Nunc ex parte cognosco, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum*⁴. Vocatur vita illa cœlestis *hæreditas in luce*⁵, et vocantur ejus hæredes etiamnum in terra peregrinantes *fili lucis*⁶, et diserte *lux in Domino. Fuistis, inquit Apostolus, tenebræ, sed jam estis lux in Domino*⁷. Immaculati illic erunt et sancti penitus; nec non et hic quadamtenus sancti et dicuntur et sunt. Atque hinc est quod sancti et pii actu et vere, licet nondum plene et perfecte, beati in Scripturis passim pronuncientur. *Beatus vir qui DEUM timet*⁸. Et, *Beati immaculati in via*⁹.

Huic autem veritati suffragantur et ipsi philosophi, quorum quidem in hac parte non est in totum improbanda sententia: nam et illi felicitatem, qualis in hac vita contingere potest, in virtute vel sola vel præcipue sitam esse, unanimi fere consensu statuerunt: quod autem perfectam et in vita perfecta dixerint, optare potius fuit, quam rem, prout in se est, definire; verius et melius imperfectam et in vita imperfecta dixissent, quod illis sine dubio non displicuisset, si eam alibi, et in vita alia, longe alia, et vere vita, et vere perfecta, perficiendam novissent. In hoc autem iis libenter

⁴ 1 Cor. xiii. 12.

⁵ Col. i. 12.

⁶ 1 Thess. v. 5.

⁷ Eph. v. 8.

⁸ Psal. cxii. 1.

⁹ Psal. cxix. 1.

assentimur, hujusce vitæ, quatenus illam capit, unicam felicitatem esse *Virtutem*, vel, ut nos potius loquimur, *Pietatem*, quæ quidem virtutum omnium et sapientiæ summa est absolutissima.

Et rem ipsam si paululum expendamus, sapientissimi Regis de hac ipsa sapientia effatum verissimum comperiemus: *Vias ejus vias esse jucunditatis, et omnes ejus semitas pacem*. Ecquid enim est aliud quod exigat Religio, quam ut sobrie, juste, et pie vitam in hoc seculo transigamus? His autem quid, quæso, tranquillius, quid jucundius dici potest? Vacat semper temperantia; luxuria occupatissima est. Hæc et corpus infirmit, et animam inquinat: illa utriusque puritas est, et sanctitas, et *εὐεξία* firmissima. Est et inter Epicuri ratas sententias, *ἀνευ ἀρετῆς οὐκ εἶναι ἠδέως ζῆν*, *vitam sine virtute suavem non esse*. Captant miseros homines vitia, tanquam furia; virtutes autem Christianæ, tanquam Angeli, pectus, cujus incolæ sunt, cœlesti pace et lætitia replent uberime: habent intra se quasi præsens gehennæ pignus voluptatum et carnis suæ mancipia; adeo ut et in præsentī vere in illos applicetur Apocalypticum illud, *Non habebunt requiem qui bestiam adorant*. *Jugis pax cum humili*, inquit devotissimus Scriptor; *superbus autem et avarus nunquam quiescunt*¹⁰.

¹⁰ Thom. a Kemp.

De caritate si loquamur, quæ justitiæ radix est, O quam perpetua suavitate animam perfundit! Invidia, quod aiunt, *festos dies non agit*; ea certe nec bonis suis fruitur, dum torquetur alienis: caritas autem non solum suis, sed et alienis tanquam suis fruitur; imo suis tum maxime fruitur, cum aliena illa reddit impertiendo: hæc est ἀρετὴ θεοεικελος. Nec quicquam in homine divinius, quam *omnibus bene velle, et quam plurimis possit benefacere*. Pietas autem precibus DEUM colens assiduis, et laudibus celebrans, hominem supra hominem elevat, et choris inserit Angelorum. Et contemplatio, quæ quidem animæ humanæ genuina maxime et purissima voluptas et ipsius felicitatis vertex est, nullibi tam sublimis et dives quam in religione vera reperietur: ubi habet, in qua spatietur, rerum divinarum doctrinam certissimam et clarissimam, mysteria profundissima, et spes altissimas; quibus qui animam suam familiarem præstat, vitam certe agit in terris cœlestem.

Possent hæc in immensum dilatari, et alia multa adjici: unicum hoc accipite, ἀντάρκειαν illam suavem animique pacificam, quam quærit philosophia, religionem solam invenire, ex supremæ scilicet προνοίας fiducia pullulantem. Quid enim est, quod illum angat, qui paternæ illi sapientiæ et bonitati infinitæ se totum committit, et in eam sua omnia securissime devolvit?

Si quis objiciat, quod et initio ultro concessum est, At pios videmus durius sæpe tractari, et legimus etiam *multas esse justis calamitates*¹¹; sed annon et, quod continuo sequitur, legis? *Sed ex iis omnibus illum eruit Dominus.* Atque hoc abunde præponderare, vecors est qui negabit. Sed nec sunt impii a funestis vitæ casibus prorsus immunes, quibus incidentibus illi certe nil habent quo se suffulciant, nullum qui liberet et extrahat. Vir autem vere Christianus, pura fretus conscientia, et favori divino innixus, generoso amore invictaque fide omnia sustinet et superat: levia sunt illi omnia, et spernit quæ patitur, dum quæ sperat, attendit; et quid est quod timeat in morte vel in vita, cujus vita cum Christo in DEO recondita est? de illo certe sine hyperbole dicatur,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ¹².

¹¹ Psal. xxxiv. 19.

¹² Hor.

PRÆLECTIO VIGESIMA.



DE FELICITATE NOSTRA, QUOD IN DEO SITA SIT, QUI
SOLUS EJUS CONSEQUENDÆ VIAM NOBIS MONSTRARE
POSSIT; QUAM ET IN SACRA SCRIPTURA PATEFECIT,
CUJUS DIVINA AUCTORITAS ASTRUITUR:

MAGNA quidem sunt, et magni habenda, duo illa
verba, ἐστὶν ἄρα τὴς ἀρχῆς, καὶ ἐστὶν ἄρα τὸ τέλος.
Necesse est dari aliquod unum rerum principium,
quodque pari necessitate optimum maximum agnos-
cendum est. Et necesse est dari aliquem rerum
finem, quem in iis producendis et regendis propo-
situm habeat, qui et *esse* iis dedit. Is autem finis
optimi agentis, cum optimus necessario sit, certe
alius esse non potest a seipso. Idemque quod
adhibet Auctor Epistolæ ad Hebræos de juramento
divino ratiocinium, hic pariter obtinet: *Cum ma-
jorem non haberet, per quem juraret, juravit per
seipsum.* Sic cum majorem et meliorem non
haberet quem proponeret finem, seipsum nobis pro-
ponit. *Omnia condidit propter se, ipsum etiam
improbum in diem mali,* Prov. xvi. 4. Et perfec-
tissimam illam figuram, circulum illum incom-
parabilem, nobis graphice depingit Apostolus,

Rom. xi. ult. *Ex eo, per eum, et in ipsum sunt omnia: illi sit gloria in secula. Amen.*

Homo autem, visibilium omnium decus ac vertex, egregia arte et peculiari ratione in originem suam revolvitur, eundemque habet Conditorum suum tum *esse* sui, tum bene *esse* principium et finem: sic gloriam suam cum felicitate nostra mira sapientia et bonitate complicuit, ut alteram rite velle aut intendere nequeamus, quin continuo sequatur altera; et felicitas nostra ultimo tandem in æternam ipsius gloriam refunditur. Reliqua DEI gloriæ inserviunt; sed ille λογικῶς, sciens et volens, sese et sua omnia DEO in holocaustum offert: cognitum amat, et amato fruitur. Et hunc summum eundemque cum immenso Conditore vitæ suæ scopum habere propositum, hominis sapientia est et felicitas.

Sed ut gradatim procedat rei hujusce contemplatio; statuendum primo, esse proprium aliquem humani generis finem, eumque idoneum, et tali natura dignum, et votis omnibus plenissime accommodatum; ne opificii hujus magni et mirabilis pars præcipua enormis plane sit, et insigni laboreτ ἀναρμοστία.

Nec ulla gravior et homine dignior theoria, quam quæ de fine suo bonoque proprio et perfecto instituitur. Necessè est ut in vita nostra multum

possit casus, ubi casu vivimus: proponendus itaque scopus est, si sapimus, imo ut sapiamus; et huc omnia referenda¹, velut ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Sed mirum quantum sapientissimos quosque inter gentes fatigaverit, et in quot quamque dissidentes eos dispescuerit sententias, finis hujus indagatio. Sed de hoc alias fusius.

Nunc breviter, necesse est bonum sit *τελειον*, καὶ *αὐταρκές*, καὶ *δυσφαίρετον*, imo *ἀναφαίρετον*, καὶ τῶν περὶ ψυχῆς, καὶ οὐ τῶν ἔκτος *perfectum*, et *sufficiens*, et *ablatu difficile*, imo *quod auferri omnino non potest*, et *animam spectans*, et *non externa*. Unde merito *ἀνδραποδώδεις* καὶ *θηριώδεις ἡδοναί*, *manicipales et ferinæ voluptates*, levis atque evanidus honor, et, quæ his tantum famulantur et ministerium præstant, divitiæ, apud saniores omnes in hoc negotio protinus exhibentur, qui et magno consensu in virtute, vel sola vel præcipue, positam esse felicitatem agnoverunt; sed an sola sufficiat, vacillare et parum sibi constare videtur vester Aristoteles, eumque secuti Peripatetici. Fortius et virilius Stoici plenissimam ejus, omnibus adminiculis nudatæ, *αὐτάρκειαν* adfirmarunt. Et ne in virtute laudibus efferenda DEI prorsus obliti videantur, non solum eam *θεῖόν τι* dixerunt, quod et Aristoteles, sed sapientem omnia facere *μετ' ἀναφορᾶς εἰς τὸν Θεόν*, *cum re-*

¹ [Fors. referendo.]

latione ad DEUM, statuerunt. Et Platonicis commune axioma est, τέλος ἀνθρώπου ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, *finis hominis assimilatio DEO quantum fieri potest*. Et Plato in *Lib. ii. de Legg.* et de *Repub.* et in *Phædone*, *Cognitionem veritatis* summum hominis bonum esse affirmat; quæ cum in hac vita perfecte non contingat, hic vix aut ne vix quidem beatum dicendum esse quemquam, sed spem esse vita functis, modo purgati exeamus. Sed duo sunt potissimum, quæ circa hanc quæstionem omnibus philosophorum scholis ac libris, O! quanto clarius ac plenius edocet religio nostra et fides pretiosissima:

1. Hoc ipsum de felicitate nostra non in nobis ipsis, sed in DEO terminanda. *Beatus qui Deum timet*². Et, *mundi corde Deum videbunt*³. *Secutio Dei appetitus beatitatis, consecutio beatitas*, Aug.

2. Hanc nostram in DEO felicitatem non solum intra brevis hujus ævi cancellos non concludi, nec cum illo finiri; sed et in illo vix inchoari, quin, illo peracto, tum demum perfici et perennem fieri. Eatenus itaque felix est terrestris hæc vita, quatenus cœlestem imitatur, ejusque evadit veluti quædam prælibatio, ubi pura scilicet ac sincera pietate, ac divinæ voluntatis obsequio,

² Ps. cxii. 1.

³ Matth. v. 8.

gloriæque divinæ studio tota occupatur, donec eo nos perducatur, ubi et sitientes saturabimur, et satiati sitiemus.

Constat enim hominem in hac vita tanto fieri perfectiorem et beatiorem, quanto ad vitæ illius perfectissimæ et beatissimæ exemplar animum habet totum ejusque affectus omnes plenius efformatos. Atque hæc est magna hominis Christiani ambitio, hoc ejus studium, quod nunquam cessat *nocturna versare manu, versare diurna*. Nec ullum prætermittit diem sine aliqua ἐκτυπώσεως linea ducta. Tanto autem in divinis contemplandis et cognoscendis uberiores facit profectus, quanto mente purior est.

Qua autem ratione ad beatam hanc metam pertingamus, DEO nimirum ut conformes simus, ejusque honori ac gloriæ commodissime inserviamus, ipsoque adeo tandem perenni in vita fruamur, et beatissima ejus visione æternum satiemur, ecquis nos certo edocebit, et viam dux fidus commonstrabit? Certe is ipse, et præter ipsum non est alius. Quis ipse sit, quatenus id scire nostra interest, solus ipse indicat, et qua demum ratione coli se velit. *Non potest DEUS, nisi de DEO intelligi*. Nec homo in integritate sui ortus, imo nec Angeli, Deo seipsum obnubilante, illius naturam aut voluntatem nosse aut scrutari poterunt. Verissimum quidem est, secundum quod et

in sacris hisce libris proditum habemus, *Enarrare caelos gloriam DEI*; sed mysteria DEI reconditiora, ejusque voluntatem, cultusque et observantiæ quam exigit modum, non omnino enarrant. Eoque Psalmus, qui ab illa cœlorum voce ac prædicatione incipit, subjicit continuo et aliam de DEO lucem, eamque sole ipso longe clariorem, et volumen seu librum ipso sphærarum circulo perfectiorem. Et doctrina certe ad DEUM perducens ab ipso exoriatur atque emanet necesse est; nec enim ullis artibus effici potest, ut fluxu ductuve continuo aquæ sua scaturigine altius ascendant. Erat itaque in hunc quem dixi finem, aliqua de DEO ab ipso DEO revelatio humano generi emissa, omnino necessaria, et se revelavit his Deus ab initio; quod et in præstigiis suis per oracula quædam divulgandis imitatus est mendaciorum pater. Modis quidem in seipso patefaciendo, et mediis gradibusque diversis, pro supremo suo beneplacito liberime variatis, usa est divina sapientia, secundum illud Epistolæ ad Hebræos, *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως*. Sed scripto tandem consignari voluit doctrinam illam sacram, quo certior, et purior, ac inviolatior per secula flueret. Æque certe fuisset ipsi facile, si de potentia loquamur absoluta, illam sine scripto illibatam conservasse; sed media ut plurimum adhibere, consiliis suis accommodata, ipsi visum est; pertingensque a fine usque ad finem, fortiter disponit omnia et suaviter, et modulo etiam nostro conformia.

Libros autem hosce quos hoc nomine amplectimur, ipsissima esse doctrinæ illius sacræ et cœlestis *κειμήλια*, aptissima forte methodo astrueret, qui ipsam historiam sacram doctrinamque veram esse, eoque, testante seipsa, divinam esse comprobaret. Religionis enim nostræ stabilita semel veritate, æquissimum sane postulatum est, nec ulli hominum sectæ omnino denegandum, ut ecclesiæ Christianæ fides in hac parte adhibeatur, indicanti scilicet quibusnam⁴ libris doctrinæ illius et religionis summa primo et *ἀθροτικῶς* contineatur.

Certe historiæ sacræ concessa veritate, eo ipso constat de doctrinæ divinitate, tot tantisque memoratis in historia ad doctrinam asserendam miraculis factis: quædam pro canone a Moyse, Dei servo et legis Judaicæ ministro; et pro novo a Christo Jesu, Filio⁵ Dei unigenito, et legis Evangelicæ Magistro; nec non et ab ipsius servis, Apostolis et Evangelicis viris; quorum omnino fidem elevare impudentiæ esset et pervicaciæ tantæ, ut ab ea etiam acerrimi olim Christiani nominis hostes temperarint.

Sed hæc quidem habent magna duo sacræ Scripturæ divinitatis suæ argumenta, *Characterem ipsarum internum, et testimonium illud externum.*

⁴ [Edd. *quibusdam*, et mox *contineantur.*]

⁵ [Edd. *fili.*]

Characterem illum *internum*, duo quidem sunt, quæ potissimum confirmant:

1. Ipsius doctrinæ incomparabilis sublimitas et puritas; nam et mysteria tam alta, et præcepta tam sancta, frustra alibi quæras.

2. Styli inimitabilis et divina plane majestas mira cum simplicitate temperata. *Nec vox hominem sonat*, sed tota quanta quanta est, grandius quiddam ore mortali. Nec prætereunda est divina illa, qua pollent hæ literæ, efficacia ad hominum mentes non solum movendas, sed in aliud prorsus *θεουργῶ μεταμορφώσει* immutandas, secundum illud Lactantii: *Da mihi ferum, crudelem, iracundum; paucissimis DEI verbis mitem ut agnum reddam, &c. Ut supra*⁶.

Testimonium autem illud *externum* tantum certe habet ponderis, quantum ipsi in suo genere competere potest. Testis locum Ecclesiæ successivæ Catholicæ quis deneget? Judicis autem et arbitri quis arroget? Frigidum esset plane facultatem *κριτικῆν* Ecclesiæ ascribere, qua de libris sibi cum primum oblatis, et velut e latebris quibusdam erutis, pronunciare illico posset, utrum divinæ essent necne. Testis tantum est Ecclesia de his quos agnoscimus, eos a primis religionis Christi-

⁶ [Sc. pag. 138.]

anæ seculis tanquam sacros et *θεοπνεύστους* receptos, ipsique, quæ nunc in terris degit, Ecclesiæ sic per manus traditos esse; quod certe testimonium quicumque elevare auderet, næ ille homo esset plumbei cordis, ferrei oris.

De interno illo Spiritus Sancti testimonio, non est quod tanto strepitu litigetur; per illud enim, ut opinor, nil aliud intelligunt, qui de eo loquuntur, quam fidem divinam in hominum cordibus Spiritus Sancti operatione ingeneratam, qua libros hosce et doctrinam iis comprehensam proni amplectuntur: quæ quidem fides affectum animi pium et alacre totius hominis obsequium vel ipso suo conceptu involvit, vel continuo saltem conexum habet. *Et qui credit, habet ille quidem hoc testimonium in seipso*, 1 Joh. v. 10. licet aliis impertire aut transferre non valeat. Hujusmodi autem testimonii interni necessitatem asserere, nil aliud est, quam si quis dicat, Quantacunque sit divinitatis Scripturarum in sese et aliunde evidentia, fides tamen hujusce rei divina divinitus infundenda est. Quod qui inficiari velit, sane se illius fidei omnino expertem proderet. *Eodem certe Spiritu et credenda et intelligenda sacra Scriptura, quo tradita est*⁷. Et unus efficacissimus Magister est, *Qui cathedram habens in cælo, corda docet in terris*⁸. Idem scilicet Spiritus

⁷ Thom. a Kempis.

⁸ S. August.

Sanctus et fidem indit et intelligentiam rerum divinarum, eamque indies adauget. Magnum itaque hoc donum precibus indefessis petendum, quod patrem benignissimum petentibus daturum asserit Filius, qui *ipsa veritas est*. Dixit Aristoteles, τὸ θεόπνευστον ταῖς θυσίαις ζητητέον, *divina inspiratio sacrificiis petenda*. Consimiliter verum est, τὴν τῶν θεοπνεύστων πίστιν καὶ σύνεσιν εὐχαῖς ζητητέον, *fidem et cognitionem rerum divinitus inspiratarum precibus petendam esse*. Propterea se dicit Varro prius de humanis, deinde de divinis rebus scripsisse; quod prius extiterint civitates, deinde ab iis hæc instituta sint. Vera autem religio non a terrena aliqua civitate instituta est, sed plane cœlestem ipsa instituit civitatem; eam vero inspirat et docet verus DEUS, dator vitæ æternæ veris cultoribus suis. S. Aug. *de Civ. DEI, lib. vi. c. 3.*

Mirum certe est, quam diversimode excepta sit olim, et etiamnum inter homines quotidie excipitur, hæc eadem doctrina, et cui eadem ubique adsint tum quibus astruatur argumenta, tum quibus prematur difficultates ac præjudicia. Divinum Apostolum in Areopago concionantem irriserunt plurimi; alii dixerunt, *Audiemus te de his alias; quidam tamen illi sese adjunxerunt et crediderunt*⁹. Et ne fides hæc ei a nonnullis

⁹ Act. xvii. 32. 34.

adhibita, vel sagacitati et aciori illorum ingenio, vel ex altera parte εὐηθεία ac debili ignavæque simplicitati imputetur; ex binis credentibus in sacra historia nominatis, philosophus alter erat, altera mulier. Certe licet in hoc negotio locum habeat suum proculdubio libertas humana; necesse tamen videtur θείαν τινὰ μοῖραν vel ἐνέργειαν potius elucentem fateri.

Religionis basis *fides*, rectus de DEO sensus, ὀρθαὶ ὑπολήψεις, Epict. Ἀρχὴ ζωῆς πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη, *vitæ initium fides, finis vero amor*. S. Ignat. Et Apostolus, *qui ad DEUM accedit, credat oportet et DEUM esse, et remuneratorem esse ipsum sedulo quæritantium*: posuisse homini legem, nec non et stimulos præmii ac pœnæ addidisse, utpote ne hominis quidem integri ingenuæ obedientiæ incongruum est.

Omnis autem vera ac viva fides amorem ingenerat, et lux illa cœlestis vehiculum est caloris; et quemadmodum vera fides hac ratione ad praxin et observantiam tendit, sic omnis vera observantia fidei innititur, et ab ea emanat; ab amore scilicet et fide, primo amorem imperante, deinde per amorem operante. Omnis mysteriorum speculatio vana est et nihili, nisi in affectus ipsamque adeo vitæ totius rationem influat. Luminaria cœli in sublimi quidem posita sunt, sed ut splen-

deant, periodosque suas decurrant, in usum terræ.
Gen. i. 17.

Credendum DEUM esse: hoc omnis sacri hujus codicis pagina majusculis inscriptum habet. Cum omnia quæ a DEO et de DEO inibi tradita extant, hoc quidem testentur et pro indubitato sumant; alium tamen primæ hujusce veritatis testem universaliozem extra se agnoscunt ipsi sacri hi libri, eoque omnes vel maxime incredulos, vel etiam doctrinæ hujus cœlestis prorsus ignaros, redarguendos remittunt. *Rom. i. 20.*


Apertissimum cum sit, apud homines divina fide nondum imbutos verbi scripti suffragium parum aut nihil valiturum, certe si quis cum illis agens sic disputaret, DEUS est, quia hoc testantur sacra Scripturæ; his autem testantibus fides omnino adhibenda, quia sunt verbum DEI: tali certe ratiocinio, utpote manifestissime circulari duplicique τῷ ἐξ ἀρχῆς αἰτήματι laborante, nil aliud efficeret quam atheis et incredulis hominibus deridendum sese propinare. Alia prorsus illos ad fidem attracturo ineunda est argumentandi ratio. Qui autem libros hosce pro vera sua dignitate et ἀυθεντία divina semel receperit, ille de omni fidei dogmate et toto religionis systemate hinc lucem hauriat ac pocula sacra; summoque Auctori gratulabundus exclamet, *Apud te, Domine, est fons*

*vitæ, et in lumine tuo lumen videbimus*¹⁰. Et quicumque non solum nomine tenus theologus, sed vere θεοδιδάκτος et φιλόθεος evadere gestit, hoc apprime secum statuat, volumen hoc sacrum continuo versare, indefessis fervidisque precibus lectioni instanter intertextis; quibus certe omissis, aquam cribro hauriet, licet non solum his libris, sed et omni insuper linguarum et interpretum commentariorumque subsidio sit instructissimus. Diversa quidem diversi in his libris legendis sectantur, velut eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Alii nil nisi criticas observatiunculas captantes, scrupos tantum et conchas legunt. Alii altiora quæque scrutantur mysteria, de præceptis monitisque perspicuis parum solliciti; et hi abysso se immergunt. Veræ autem hujus sapientiæ genuini sunt discipuli, qui cordi suo his fontibus repurgando, vitæque suæ toti ad doctrinæ hujus cœlestis typum componendæ, assidue incumbunt; nec scire hæc avent tantum ut sciant, vel ut ipsi etiam sciantur; sed ut sanentur, et dirigantur, et per justitiæ semitas ad propositam illam et exoptabilem felicitatem perducantur.

Summa est, felicitatem nostram in ipso *esse* nostri principio, DEO benedicto, unice sitam esse; unionis autem cum ipso unicum esse medium re-

¹⁰ Psal. xxxvi. 9.

ligionem veram, quæ quidem nil aliud sit, quam rectus de DEO sensus, et verus DEI cultus, præceptorumque ejus omnium continens atque indefessa observantia, secundum normam scilicet purissimam ac perfectissimam divinis hisce, quos eo nomine amplectimur, libris consignatam. Fixum itaque animis nostris inhæreat illud Psalmi: *Beati immaculati et integri in via, in lege Domini ambulantes. Proposuisti, Domine, mandata tua; O! utinam semitæ meæ ad illa protinus observanda comparentur.* Ps. cxix.



PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA.

DE ATTRIBUTIS DEI.

INTER omnia certe quæ humanis mentibus insident axiomata, nullum notius et certius quam DEUM *esse*: de quo jam ita pridem disseruimus. Inter omnia autem, quæ persequitur humanus intellectus, rerum abditissimarum arcana, nil est infinitis parasangis tam arduum et ἀνεξερεύνητον, *inscrutabile*, quam *Quid sit DEUS* intelligere. Notum illud in scholis S. Augustini de tempore dictum, quanto de illo verius, qui tempore antiquior est, et æternitatem incolit;

— Qui tempus ab ævo

Ire jubet:¹

*Posuit tenebras latibulum suum, et intra eas tenebras lucem habitat inaccessam,*² nostræque certe aciei magis illis ipsis tenebris caliginosam. Ὡ τὸ θεῖον σκότος. Et acutissime *Naxianzenus*, ἀν τὸ σκότος τέμνη, τίς ἀαστράπτεται; Quando itaque de illo loquendum, opportune semper monitum

¹ Boeth. Cons. Phil. lib. iii. metr. 9.

² Ps. xviii. 11.

illud succurrat, *Λάλει μὲν ἐν φόβῳ* quid enim est, quod illo dignum proferamus? Homo siquidem ubi de DEO sermonem habet, cæcus de luce loquitur. Hoc certe de luce illa verissime etiam cæci dicamus, et subinde ingeminemus: O! quando illucescet exoptatus ille dies, qui animam, densis hisce carnis teguminibus et veluti squamis exutam, ad primam illam lucem æternamque apertius conspiciendam transmittet?

Quæstioni, quid DEUS sit, aptissima forte est responsio altissimum silentium: vel si quid effari liberet, hujusmodi merito esset, quod ad silentium quidem proxime accederet, *DEUS est*; quod omni sermone et conceptu nostro infinitum majus et melius.

Triplicem quidem memorant theologi modum, quo Deum homines aliquatenus cognoscant ipsi, aliisque pariter cognoscendum exhibeant, *Negationis* scilicet viam, et *Causationis*, et *Eminentia*: quæ tamen omnes adeo remotam et tenuem *τοῦ ἀοράτου* adumbrationem se præbere, vel ipsa suis etiam nominibus indicant, ut reliquæ duæ ad primam merito reduci possint; et omnis hæc nostra cognitio *Negativa* dicatur. Certe essentiæ divinæ explicationem ab attributis, quæ vocamus, distinctam instituere velle, adeo importuna subtilitas est, ut sub accuratioris cognitionis specie tanto crassiorem prodat inscitiam. Adeoque de

imperscrutabili illa majestate nil tale audendum, ut nec nostram nec rei cujusquam in natura vel minimæ ac contemptissimæ essentiam nos habere perspectam, perspicacissimi forte sit ingenii liberime fateri. Licet autem attributa illa, seu excellentias divinas, sub communicabilium et incommunicabilium nomine distinguant scholæ, idque non omnino incommode; sic tamen temperanda est illa distinctio, ut meminerimus semper ea, quæ communicabilia³ dicantur, non solum modo prorsus semoto et ἀκοινωνήτω de DEO intelligenda, sed in illo reipsa aliud omnino esse, immensum aliud, ab omni ejusmodi nominis in homine Angelisve virtute, vel, dicendum potius, ubi de hac disparitate sermo est, *virtutum umbra*. Nec solum enim omnia in ipso æterno et infinito æterna sunt et infinita, sed modo plane ineffabili is ipse sunt. Ille bonus sine qualitate, magnus sine quantitate, &c. Ille sic bonus, ut solus dicatur bonus, S. Matth. xix. 17. solus sapiens, Θεῶ μόνῳ σοφῶ, *soli sapienti Deo*, inquit Apostolus. Et apud eundem, μόνος ἔχων ἀθανασίαν, *solus habens immortalitatem*, i. e. ἐξ οἰκείας φύσεως, οὐκ ἐξ ἐτέρου βουλήσεως, *ex sua natura, non ex alterius consilio seu voluntate*. DEO si conjungimur, sumus, vivimus, sapimus; DEO si comparamur, nec sapimus omnino, nec vivimus, imo nec sumus. Greg. Mag. Mor. Reliqua omnia quæ sunt ab ipso, e

³ [Edd. communia.]

nihilo educta sunt ex beneplacito liberrimo per potentiam infinitam; adeo ut merito contingentia dicantur omnia, ille solus Ens necessarium; imo solus Ens, τὸ ὄντως ὄν; vel ut habet Plotinus, τὸ ὑπερόντως ὄν. Οὐδὲ τις ἐστ' ἕτερος χωρὶς μεγάλου βασιλῆος. Sept. ὁ ὦν. Hoc quidem significat nomen illud celsissimum *Jehovah*, illum esse, et a seipso esse. Sed quid illud *esse* sit, vel quæ ejus essentia, nec exprimit quidem, nec si exprimeret, possemus nos omnino concipere. Imo non solum illud *esse* nomine illo patefactum non est, sed et reconditum veloque obtectum esse indicatur. *Sum qui sum*, vel *sum id quod sum*⁴: quasi diceret, Ipse novi quid sim; vos autem nec scitis nec scire valetis, et si edicerem, non caperetis. Sed ubique tum verbo suo, tum re et operibus suis, quod scire nostra interest, sanctum se, et veracem, et benignitatis misericordiæque esse inexhaustæ, palam fecit.

Spiritum cum appellamus, purissimam et plane incorpoream naturam dicere volumus: vox tamen ista lingua Hebræa, Græca, et reliquis omnibus, primo suo et naturali significato nil aliud indicat præter *auram* seu *ventum*, atque corpus id esse quantumvis tenuissimum nemo ignorat; adeo nos de infinita illa *puritate* loquentes omnis sermo de-

⁴ Exod. iii. 14.

stituit, imo et cogitantes; omnis etiam acerrimi intellectus hebescit subtilitas.

Æternum illum esse peræque necessarium est agnoscamus ac omnino esse, modo DEUM dicentes Ens primum, et quod a seipso sit, intelligamus. Cum hoc itidem primi æternique Entis conceptu conjunctissima est omnimoda atque infinita perfectio et ἀμετάβλητος sui que semper similis constantia. De quibus fusius libri theologici, quorum uberrimam admodum habetis copiam.

Consimili plane necessitate, si Ens primum est, unicum esse asserendum; ineffabilem autem in hac unitate *Triada*, mysterium in sacris literis solis, apertius autem in novo canone patefactum, audacius scrutentur alii, si volent; nos humili fide amplectentes miremur usque et adoremus.

Reliqua, quæ enumerari solent, attributa sub hoc ternario perfectissimo comprehendere posse puta, *potentiæ, sapientiæ, et bonitatis. Sanctitatem* quippe, *justitiam, misericordiam, benignitatem immensam, &c.* communis ille *bonitatis* titulus aptissime complectitur.

Quin potius pratis hisce amœnis quotidie inambulantes, novas semper carpamus et indies revirescentes delicias. Ubi illud ingeminat Psalter, *Magnus est Dominus, et magnopere laudandus, et*

*magnitudinis ejus non est finis*⁵; *Volebat dicere, inquit S. Augustinus, quam magnus sit, sed hoc qui fieri potest? Et si tota die MAGNUM diceret, parum esset; finiret enim aliquando, quia finiretur dies: magnitudo autem illius ante dies et ultra dies.* Egregie Synesius, hymno quarto:

Ἕμνῶ σέ, Μάκαρ,	<i>Cano te, Beate,</i>
Καὶ διὰ φωνᾶς	<i>Et voce;</i>
Ἕμνῶ σέ, Μάκαρ,	<i>Cano te, Beate,</i>
Καὶ διὰ σιγᾶς.	<i>Etiam silentio.</i>
Ὅσα γὰρ φωνᾶς,	<i>Quantum enim vocem,</i>
Τόσα καὶ σιγᾶς	<i>Tantum et silentium</i>
Αἶεις νοεῖς,	<i>Percipis intellectus,</i>
Πάτερ ἄγνωστε,	<i>Pater qui cognosci non potes,</i>
Πάτερ ἄρρητε.	<i>Pater ineffabilis.</i>

⁵ Psal. cxlv. 3.

PRÆLECTIO VIGESIMA SECUNDA.

DE VITA PIE INSTITUENDA.

JAM aliquoties aliquot de rebus summe necessariis apud vos sermones habui; verum quæ hactenus dixi, præludia tantum erant et aditus ad ea, quæ animo proposueram: sed in extrema jam anni exeuntis lacinia ista velle proseguere, importunum et irritum prorsus foret; quocirca ab illo conatu in totum abstinebo, et pro hac vice paucula quædam monita congeram, quæ non tantum ferialibus hisce, qui jam instant, mensibus utilius collocandis, sed et toti vitæ vestræ rectius et felicius instituendæ inservire possint.

Et primum, de quo monebo, erit ut *Somnolentiam fugiatis*, quæ matutinas horas tum studiis tum pietati maxime commodas devorat, et tam corporis quam animi vires hebetat ac enervat. Memini clarum illum Clarevallensem Abbatem¹, siquando fratres stertentes, et profundiori somno immersos inveniret, illos *seculariter dormire* dicere solitum. Et licet nos regulas illas severiores, qui-

¹ S. Bernard.

bus illi se subjecerunt, non admittimus, at certe concedemus alium esse modum mensuramque somni, et refectionum omnium corporalium, studioso ac pio juveni, quam pro communi vulgarium hominum licentia.

Alterum itaque, quod ut priori affine et conjunctum vobis commendo, hoc erit, *Temperantia in cibo et potu*: sobrium enim cibum sobriumque sensum sequitur somnus sobrius; ventris autem repleti densum vaporum agmen spiritus totos obruere, et diu obsessos tenere, necesse est. Idcirco non sine ratione Græci eodem vocabulo indifferenter *sobrium esse et vigilare* significant. Et Petrus Apostolus, quo rem clarius exprimeret, duobus quidem verbis utitur, sed res ipsas ut arctissime connexas, imo tanquam unum quid hortatur, *νήψατε, γρηγορήσατε*. Et eadem epistola, *cap. iv. 7.* aliud vocabulum pro sobrietate adhibens, pro *vigilare* *νήφειν* ponit, *σωφρονήσατε καὶ νήψατε*. Et utrumque quidem sic ad animum transfertur, ut corporis etiam et sensuum sobrietatem ac vigilantiam includat, utpote spirituali apprime inservientem, imo prorsus necessariam; sicut utraque assiduis precibus et pietati subministrat et necessaria est, *Sobrii estote, et vigilate eis τὰς προσευχάς, ad orationem*.

Certe ubi levissimum et expeditissimum redditur corpus, tamen hoc quod corrumpitur aggravat

animum: quanto magis, ubi ipsum immodico cibi potusve onere et consequenter² somno aggravatur! Nec sese poterit animus erigere, et liberiori contemplationis orationisque ala uti, ubi tam gravi sarcina deprimitur; imo nec in studiis et eruditione humana progressum facere egregium; sed tarde movebitur, et impeditus hærebit, veluti currus in via lutosa. Merito hanc, quam urgemus, virtutem σωφροσύνην vocarunt Græci, tanquam magnam mentis conservatricem, ut in *Ethicis* suis observat Philosophus vester. Ingenii certe sui acerrimus hostis est, qui genio fovet³ et indulget: παχῆια γαστήρ λεπτόν οὐ τίκτει νόον *crassus venter animum non parit subtilem*. Nec per hæc solum ut crapulam et luxum longe abigatis, suaderem; sperarem potius supervacuum vobis esse tale monitum: sed ad hunc usque victoriæ gradum in hoc certamine libenter vos ducerem, ut in quotidiano vestro et simplicissimo victu intra appetitus vestri fines aliquot passibus semper sistatis. Sciatis quidem, ut dixit Cato, *ventrem non habere aures*; habet tamen os, cui injiciendum est frænum; et nos non illum, sed sessorem ejus, eo fine alloquimur, gubernatorem Animum, qui corpus sensusque omnes regere debet et pro arbitrio cohibere. Optime Bernardus: *Sic prudens et DEO dicatus animus habere se debet in corpore suo, sicut paterfamilias in domo sua. Non habeat, sicut Solomon dicit,*

² [An consequente?]

³ [An favet?]

mulierem litigiosam carnem suam, nec ullum appetitum carnis ut servum rebellem, sed ad obedientiam et patientiam assuefactum. Habeat sensus suos non duces, sed rationi et religioni servientes et sequaces: habeat omnem omnino domum vel familiam suam sic ordinatam, et disciplinæ subditam, ut dicat huic, Vade, et vadat; et alii, Veni, et veniat; et servo corpori, Facito hoc, et sine murmure fiat quod jubetur. Et paulo certe durius tractandum est corpus, ne animo male pareat. Qui enim, inquit Solomon, servum suum delicate enutrit, habebit eum tandem filium certe contumacem⁴. Hoc est, quo aspirare vos velim, ut carnem omnesque ejus concupiscentias debelletis; bellum enim gerunt illæ lethale adversus animas vestras, et tum maxime respuendæ sunt, ubi maxime blandiuntur. O quam infelix est et indecora rerum inversio, ubi caro imperat, et subjugatur anima! Caro vilis, crassa, terrea, mox vermibus rodenda:

Ψυχὴ δ' ἔστιν ἄημα Θεοῦ, &c.

Aliud adhuc est, in quo vobis cavendum moneo, *Linguæ intemperies*. Linguæ multa mala, sed omnium compendiosissimum remedium silentii studium.

Improba garrulitas, studiumque immane loquendi.

⁴ Prov. xxix. 21.

*Perfectus est qui in lingua non peccat*⁵, sed proculdubio, qui parcius loquitur, rarius peccat. *At in multitudine verborum*, ut monet Sapiens, *non deest peccatum*⁶. Multa et simul opportuna loqui vix eidem contingit. Χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὸ καίρια. Ut autem vitetur magna loquacitas, amanda est et familiaris reddenda solitudo, ut secum quisque multum loquatur, cum aliis parum. *Caritas certe habenda est erga omnes, sed familiaritas non expedit*⁷. Et res admodum inanis est vulgaris et indiscreta τῶν τυχόντων conversatio. Et ubi ex confabulatione et liberioribus colloquiis solatium nobismet pollicemur, sæpe tristiores recedimus; vel certe ea audivimus et locuti sumus, unde merito, reflexum si foret examen, tristitia enasci posset. Si autem linguam, et sensus omnes, et vitæ scaturigines, corda nostra, in tuto esse velimus, frequentes simus in oratione, mane, vespere, et meridie, et sæpius per totam diem; et constanter coram DEO ambulemus, illumque omnia nostra dicta et facta, latentesque animi motus, observare meminerimus: hoc magnum pietatis compendium; nam qui oculi illius puri et πανόπτου perpetuo memor est, nunquam pleno animi consensu et deliberato proposito peccare audebit. Angelicam certe reddet in terris vitam hic conspectus: illorum enim proprium est, secundum Servatoris nostri dictum, *patris cælestis faciem*

⁵ Jac. iii. 2.⁶ Prov. x. 19.⁷ Tho. à Kempis.

semper intueri. Hoc se liberavit Josephus ab imperiosis feminæ et dominæ illecebris, et tanquam aqua injecta ignitum illud telum restinguit: *Faciamne, inquit, malum hoc, et in DEUM peccabo*⁸? poterat hominum oculos latere, sed ille invisibilem omnia videntem reverebatur. Quidam ex antiquis simili impudicitia sollicitatus evasit: ab uno cubiculo ad aliud a muliere tentante deductus, secretiorem usque locum sæpius postulavit: illa tandem, ubi ad intimum domus penetrare pervenissent, Hic certe, inquit, nemo nos deprehendet, nullus oculus videre poterit. Ille autem, Nullusne oculus? Annon DEI? Quo dicto et peccatum ipse aufugit, et feminam peccatricem ad resipiscentiam, DEO inspirante, commovit. Sed

OREMUS.

Te decet hymnus, Deus, in Zione, et laus tua decora est et jucunda, ab omnibus manuum tuarum operibus tibi debita, sed sanctis tuis et cœlestibus animis egregie congrua. Eleva, Domine, mentes nostras, ne repant in terris, et cœno se immergant; sed sursum raptæ gustent delicias domus tuæ, domus illius altissimæ, quam qui habitant perpetuas laudes tuas canunt: nec quicquam tibi laudibus illi adjiciunt, sed ipsi beatitudine summa perfruuntur, Te sine velo, infinita Bonitas, intuendo, et pulchritudinem tuam increatam admirando, et laudando

⁸ Gen. xxxix.

per omnia secula. Da nobis vestigiis sanctitatis insistere, et pro modulo nostro etiam in terris nomen tuum efferre, usque dum et nos in cœtum illum superiorem transferamur.

Recordare benignitatis tuæ ac fœderis tui erga ecclesiam tuam, in terris militantem, et in medio tot hostium periclitantem: pericula tamen ejus omnia credimus esse sine periculo; premi potest et aquis immergi, sed submergi prorsus et perire non potest. Effunde benedictionem tuam in hanc gentem nostram, in urbem et Academiam hanc nostram. A te pendemus, Pater, sine cujus manu non essemus, et sine cujus favore felices esse non possumus. Lætifica corda nostra, Tu qui solus es lætitia solida, et pura, et permanens; et deduc nos per semitas justitiæ et gratiæ ad requiem et lucem gloriæ propter Filium tuum, Redemptorem nostrum, Jesum Christum. *Amen.*

PRÆLECTIO VIGESIMA TERTIA.

DE PURITATE VITÆ.

IN omni sacro cultu, O quanti foret dicti illius summi nostri Doctoris meminisse, quod quidem nemo ignorat, et tamen ignorant fere omnes, *Deum*, quem colimus, *spiritum esse, eoque spiritu et veritate colendum*¹! Spiritus ille est, spiritus purissimus, et spirituum Pater; veritas est, prima veritas, et veritatis omnis Fons limpidissimus; ἡμεῖς δὲ πολλοὶ καρδιὰ πλανώμενοι, spiritus quidem sumus, sed spiritus carni immersi, imo quasi in carnem conversi; et veri extincto lumine, errorum tenebris cooperti; quodque adhuc veritati inimicum magis, ficta in iis et fucata omnia; οὐδὲν ὑγιές, *simplicis et sinceri nihil*. Spiritus itaque illius veritatis supremæ cultores nos quam incongrui, σαρκικοὶ καὶ ψευσταί. Accumulemus licet preces et jejunia; manibus certe impuris, quibus ea offerimus, inquinata sacrificia nostra omnia DEO quam ingrata et gravia; quoque multiplicentur² uberius, eo quasi sub adaucto onere conqueritur magis Deus noster purus et sanctus. Quemadmodum de populo olim suo per Prophe-

¹ Joh. iv. 24.

² [Rectius *multiplicantur*.]

tam: *Ferias, inquit, vestras odit anima mea, laboriosæ mihi sunt, et defessus sum ferendo: propterea expandentibus vobis manus vestras occulto a vobis oculos meos, et quasi nauseabundus aversor; sed si vos lavetis et purgetis, tunc venite et disceptemus*³. Quasi diceret, tunc colloquamur, et res nostras, si quid litis sit, amice disceptando componamus, ut querelæ in amplexus transeant, et delicta omnia oblivione gratuita in perfectam innocentiam; et *Licet fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescent; etsi reatu supra coccum rubeatis, lanam candore superabitis: lavate vosmet, et ego insuper lavabo, et sordes vestras expurgatissime abluam.*

Quo vero nos utili huic planeque necessario purgandi cordis operumque negotio, et instructiores et intentiores simus, sacræ illi sententiæ paululum immoremur, *Psalm.* scilicet cxix. 9. *Ecquo purgabit juvenis semitam suam? Respondetur, Observando illam secundum verbum tuum.* In quæstione occurrunt varia.

1°. Rem esse *ὁμολογουμένως* pulcherrimam longe et optatissimam viæ seu vitæ puritatem; quæ ut ab ipsa scaturigine incipiat omnino necesse est, a corde scilicet, unde, ut loquitur Solomon, *prodeunt et emanant egressus vitæ.* Beatos illos pronun-

³ Isai. i.

ciat Psalmi initium, *qui integri seu puri via sunt, qui ambulant in lege Domini.* Ps. lxxiii. 1. *Deus benignus est Israeli, puris animo.* Et Redemptor noster, Matth. v. *Beati puri corde, illi enim Deum videbunt.* Nec alia est genuina animæ pulchritudo, quam hæc ipsa puritas et sanctitas, hæc magni sui Conditoris vera imago; aurea hæc corona, quæ homini miserrime labenti capiti delapsa est, adeo ut lugentes, heu! quam merito dicamus, *Væ nobis quia peccavimus!* Et hoc unum est, quo totius religionis omnia mysteria, præcepta omnia universim connituntur, ut humani generis alicui saltem parti restituatur hæc corona, et imago refingatur, cujus quidem supremum complementum æternumque firmamentum speratæ illius, quo aspiramus, felicitatis et gloriæ magnam certe partem constituet. Tunc dilecto nostro Capiti plenius conformes et similes nos fore confidimus. Atque etiam in via tanto ei similiores sumus, *pulchro illi præ filiis hominum candido et rubicundo,* quo divino caritatis ardore, una cum castitatis candore commisto, animas habemus altius et locupletius perfusas. Elegit nos in sanctitatem misericordiarum Pater; ad nos purgandos sanguinem suum semel in terris effudit, et Spiritum suum indies e cœlis effundit, Dei Filius in secula benedictus.

Rem autem ipsam in se spectando, quis est qui sordes et squalorem, etiam natura stimulante, non

aversetur, nitoremque corporis et puritatem malit? anima autem quanto nobilior, tanto ejus pulchritudo et puritas optatior. Similiter in itinere quovis faciendo, quis non planam nitidamque semitam lutulentæ et confragosæ anteferat? Vitæ autem via, quod in aliis non contingit, talis plane erit, qualem ipse volueris et feceris. Σὺν Θεῷ scilicet, et aspirante illius gratia, purgat vir pius viam suam; impuri autem et suilli ingenii homines, quibus cœno volutari in deliciis est, ubique fieri sordidi sui voti compotes paratissimum est. Vos autem spero, illud dedecoris brutissimi dedignant, huic ipsi quæstioni præ alia omni studiosissime insistetis, qua ratione etiam juvenes et pueri viam suam purgare, et, a cœnosis vulgi semitis deflectentes, pratis inambulare amœnioribus possint.

2. *Obs.* Puritatem non esse obvium quid et casu non quærentibus contingens, sed egregiæ et artis et industriæ negotium. Hinc insuper discatis et juvenum seu puerorum⁴ viam hac cura plurimum egere. Est quidem aliqua ratione juvenilis institutio expeditior nonnihil et facilius, quod viis turpibus et pravis nondum assueti sint, nec habitudine obfirmati; sunt tamen et alia, quæ illius ætatis puritatem incontaminatam difficiliorem reddant, et præcipue quidem ipsa ejus

⁴ Vocabulum Hebræum *puerum* significat.

ad externa et ambientia quælibet, potissimum autem ad deteriora, imbibenda facilitas: exempla et incitamenta vitiorum et abundantius eos circumdant, et promptius lubentiusque arripiuntur.

Verum ut ut sese habeat, vel corrumpendæ, vel corrigendæ et purgandæ, juventutis et pueritiæ facilitas vel difficultas; hoc certe ex quæstione, prudenter sine dubio proposita, constat, intra rerum et possibilium et idonearum fines hanc rem consistere; nec adeo effrænem esse juventutem, adeove ineptam vel ipsam pueritiam, quin aptis artibus ad virtutem et pietatem veram flecti et formari possint. Sit juvenus ἀχάλινος, ἀδάμαστος, *effrænata, indomita*, et insano quodam impetu in vetita ruens; *sunt verba et voces quibus hunc lenire furorem possis*, imo quibus ipsa seipsam domare possit et componere, *observando se viamque suam secundum verbum tuum*: illud scilicet verbum unicum verba habet illa omnia et voces ad affectus purgandos, motusque animi sedandos, non aptas solum, sed et vi quadam divina mirifice efficaces. Et quod de Sparta olim ejusque disciplina, de lege divina et vera religione multo verius dicatur, illam egregie δαμασίμβροτον, *mortalium domitricem*, esse. Atque hæc ad responsum nos recta ducunt,

3. *Quomodo purgabit, &c. Observando illam secundum verbum tuum.* Non est itaque hoc præ-


tandum secundum philosophiam nostram; sed secundum verbum tuum, O Lux, et Veritas, et Puritas æterna! Habet quidem etiam ethnicorum philosophia moralis monita quædam et præcepta non contemnenda; sed illud certe quatenus verbo huic legique divinæ sunt consentanea, insciis licet ipsis philosophiæ magistris; sola autem perfecta et per omnia amplectenda Ethica est doctrina Christiana. Hoc est quod antiqui Ecclesiæ doctores in religionis nostræ debitum honorem asserunt et probant. Qui autem ætates suas in philosophiæ studio conterunt, nec alium quenquam⁵, nec seipsos, si natura paulum obstet, facere possunt meliores; et sapientia eorum, ut plurimum efficiat, abscondit potius vitia quam excindit: pauca vero Dei præcepta sic totum hominem immutant, et abolito vetere novum reddunt, ut non cognoscas eundem esse. Et secundum illius normam, quicumque vestrum ad hanc mentis et semitæ puritatem aspiratis, vosmet et omnia vestra quam potestis ordinatissime exigite. Nec durum hoc dictum putetis: nihil enim in se habet injucundi puritatis studium, nisi cuiquam grave sit Deo assimilari.

Cogitate jam, Juvenes, imo et qui sine injuria pueros vos dici patiemini, cogitate, inquam, quæ sit vera omnique studiorum ardore digna sapientia, qua et senioribus, si vultis, præluceatis: æmuli

⁵ [Edd. *quemque*.]

sitis duplicis in hisce verbis conjunctionis, et a posteriori certe dependet prior: uniatum cum verbo divino sollicita viæ vestræ observatio, eaque ratione (quod rarum est) cum juventute et pueritia ipsa puritatem componetis: sit omne præceptum et verbum divinum pabulo vestro, oculisque ipsis, et vita vobis carius⁶.

⁶ [Edd. *carior.*]



PRÆLECTIO VIGESIMA QUARTA.

ANTE SACRAM SYNAXIN.

PRUDENTIS monitum est, *Tecum habita*: quod licet paucissimi faciant, mirum tamen est, nec eo plerosque posse adduci, ut sese nonnunquam saltem invisant; sed secundum sapientis Hebræi dictum, *Oculi stulti sunt in extremis terræ*. Mentis humanæ proprium et egregium munus in se reflecti; et nos male sani hoc supremi Conditoris donum, et naturæ nostræ decus, neglectui habentes, belluina incogitantia vitam transigimus. Felicem certe se reputaret, qui non solum ipse ad interiora conversus, animam suam scrutaretur sedulo, eamque seipsa indies meliorem purioremque reddere conaretur; sed et alios, quibuscum versatur, ad laudabilem hanc industriam monitis opportunis acribusque hortamentis excitaret. Atque hoc quidem, licet nunquam intempestivum, aptius tamen multo erit, arrepta hac occasione, apud vos attentare, cum non ignoretis magnum esse canonem Apostolicum, omnes spectantem ad celebranda divina mysteria vocatos, *Ut sese unusquisque exploret, et sic de pane illo comedat, et poculo bibat*¹.

¹ 1 Cor. xi. 28.

Nolo equidem fusiolem mysterii explicationem aggredi: hoc tantum moneo, duplicem esse *διάκρισιν* ad salutarem illius usum et *κοινωνίαν* omnino necessariam; primam quidem animarum nostrarum, et corporis Dominici alteram. Quas quidem et sub eodem vocabulo arctissime connectit divinus Apostolus. Exploratio quidem nostri *τοῦ δοκιμάζειν* verbo insignitur, sed statim ipsum nosmet dijudicandi vocabulum subjungit, *εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν*, *etenim si nosipsos dijudicaremus*, cum continuo illud alterum interseruisset sub eadem voce, *τὸ διακρίνειν τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου*, *discernere, seu dijudicare, corpus Domini*. Atque hoc est quod hujusce tantæ dignationis indignos reddit quam plurimos, quod, cœleste hoc convivium accedentes, nec ipsum nec seipsos rite dijudicent. Sed ut nosmet dijudicemus, prævium illud nostri examen instituamus necesse est. Et certe ut animos vestros ad hoc interius sui examen applicetis, multo libentius suaderem, et O utinam persuaderem! quam aride memoriæ vestræ in recitationibus specimini exigendo inhærere.

Expendite itaque vobiscum et serio cogitate, quantæ dementiæ, quanti furoris cum celsissima Dei majestate nuganter agere, infinitæque Sapientiæ vecordium et stultorum offerre sacrificia! Siccine audebimus vermiculi Omnipotentem Regem *παραζηλοῦν*, *ad æmulationem provocare*, quasi illo

validiores, et in illius potentiam quasi adversa fronte ultro incursare, cujus vel levissimus tactus nos in pulverem comminuat? An nescimus eundem Deum nostrum, qui humili pietate colentibus lux est vivifica et salutaris, nihilominus impiis et profanis omnibus, impuro corde manibusque illotis sacra temerantibus, *ignem esse consumentem?* eosque ipsos, in ecclesia sua potissimum et in officiis divinis versatos, qui illum tanquam puram lucem non agnoverunt, tanquam flammam ardentem ineluctanter sensuros? Lætentur coram Deo et exultent Sancti ejus; hoc etenim non solum permittit ipse, sed et jubet: meminerint tamen etiam sanctissimi, imo quo sanctiores, tanto altius animis infixum hoc sentient, adeo ut illius oblivisci omnino non possint, lætitiæ illi sanctæ et spirituali timorem etiam sanctum et tremorem attemperandum; ὄμμα μέγα τρομεῶμεν. Magnus est Deus noster et sanctus, quem et Angeli verentur. Illi appropinquent Sancti ejus, sed humiles et tremuli; ignavi autem et sordibus immersi, affectibusque impuris secure et placide indulgentes, nec omnino appropinquare audeant: si cui tamen etiam inquinatissimo ardens colluvionis suæ odium et sanctitatis desiderium oboriatur; ecce, fons apertus est vivus et purus, cunctisque sordibus abluendis ac languentibus et sitientibus animabus reficiendis aptissimus. Et vos ultro hortatur, et vocat, animosque addit, vivus ille et perennis puritatis et gratiæ Fons, *Venite omnes qui sititis, &c. Omnes,*

inquit, *a Patre mihi donati ad me venient; et venientem ego nequaquam repellam, aut ejiciam*².

Interrogate itaque vosmetipsos, et quid velitis, et quales sitis, ad mensam illam sacratissimam accedentes? Quo tendis, dicite, quid quæris, anima mea? Supinissimæ enim socordiæ est et stultitiæ, rem tantam et tam seriam nullo fine, nulli bono, adeoque nec omnino serio, sed velut non agentem agere; quod tamen magnis hominum catervis ad cœtus sacros, et ad hanc etiam synaxin, confluentibus adhæret. Et quid mirum nihil eos invenire, qui prorsus nihil quærunt, et portum nullum petenti nullum spirare ventum secundum? Moris assueti torrenti sese tradunt, nec cursum aliquo dirigunt; sed fluctuant, et quo ferantur nesciunt; vel si quo conscientiæ stimulo cogantur, cæcus est quidam motus et inconditus, et ultra sacrorum extimam superficiem nihil cogitans. Vos autem, quæ Angeli vox fuerit, *qui Jesum quæritis, ne metuatis*; illum certe invenietis, et in illo omnia: *complacuit enim Patri ut in eo inhabitaret plenitudo omnis*³; adeo ut nil in eo vacui sit, et extra eum vacua omnia et inania. Illum toto pectore amplectamur; illi innitamur unice.

Extinguat in nobis mors ipsius, quam hoc mysterio commemoramus, terrenos affectus omnes;

² Joh. vi. 37.

³ Col. i. 19.

illiusque virtutem divinam nos in sanctam ipsius similitudinem conformantem sentiamus; et versus patriam cœlestem, velut ab ipso renovatis viribus, et firmatis acceleratisque gressibus, illum usque sequentes contendamus.

Omnes autem ex æquo hæc cura spectat, ut cordis purgandi, et vitæ ad normam Evangelicam instituendæ, seriam ineant rationem. Magnus etenim et genuinus hic omnis sacri cultus et rituum omnium scopus est, licet pleraque hominum pars cum cortice hæreant, nec in reliquis solum vitæ negotiis, sed et in ipsa religione, non nisi umbras amplectantur. Preces habemus publicas, et conciones frequentes, et sacramenta solennia: si quis autem inter hæc omnia Christianæ fidei veros vivosque characteres, et in tanta comitantium turba Magistri illius summi in vitæ tramite veros sectatores quæritet,

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Quod de celebri illa urbe quidam, *se in ipsa Roma Romæ nihil invenisse*, dixit, quam nimis vere, in tanta apud nos religione nihil fere religionis; nisi eam verba putemus, ut lucum ligna. Sin autem in magna peccatoris puritate, et humilitate non ficta, et fraterna caritate, nobilique carnis et seculi contemptu consistat, ποῦ ποτε ἡμᾶς κατέλιπεν;

Vos autem, Adolescentes, si vultis serio rem agere, nonnihil et temporis et curæ impendatis necesse est; nec enim tanta bona vel casu vel in transcurso obvenire somnianda. Si renovanda est sequentis vitæ ratio, anteacta certe examini subjienda est; magna enim ex parte consilium futuri ex præterito evenit. Felix et sapiens, qui frequenter, imo quotidie sua facta et dicta revolvit: tanto is certe facilius et felicius hoc idem præstabit, ubi aliquanto solennius faciendum est. Qui itaque, quam suave sit hoc opus, et quantum habeat⁴ utile dulci permistum, experti sunt, quotiescunque repetendum est, alacri animo excipient; reliquis autem semel necessario inchoandum est, necessario, inquam, modo iram effugere futuram, pacemque et salutem consequi, necessarium dici permiserint. Operosum forte et torpori nostro injucundum videbitur negotium resipiscencia, et durum dictum, pœnitere; sed perire, durius: homini autem peccatori non datur tertium: edixit ipsa Veritas alieni exitii exemplum narrantibus, et vos, inquit, *nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis*⁵. In id ipsum quidem venit ille Redemptor, ut miseros perditosque funesta illa pereundi necessitate eximeret; suavem autem illam et felicem resipiscendi necessitatem nullatenus abstulit, imo ut cum gratia et salute conjunctissimam intulit et imposuit, eumque connexum non solum

⁴ [Edd. *habet.*]

⁵ Luc. xiii. 3.

eadem cum Præcursore suo sententia, sed et iisdem plane verbis, ipse prædicavit: *Resipiscite, appropinquavit enim regnum cælorum*⁶; sicut et alias se eo quidem fine venisse asserit, *ut vocaret non justos, sed peccatores*⁷; eos autem quo vocet, subjicit; peccatores vocat, verum non ad peccandi licentiam, sed a peccato *ad resipiscentiam*. Et sanguis ipsius in cruce effusus, balsamum illud toto *Gilead*, totaque *Arabia*, omnibusque totius orbis myrotheciis pretiosius, non nisi contritis cordibus sanandis destinatus est.

Sed, heu! magna et misera tum peccati, quo involvimur, tum impœnitentiæ, qua ei immoramur, causa est densa illa, quæ mentes nostras possidet, Dei ignoratio. O æternam illam et infinitam puritatem! Si scirent homines, si vel tantillum scirent, quam nos ei ingratos et inimicos reddat immundities omnis, sanctitas autem quam similes et amabiles, hoc unum certe toto animi nixu, hoc studiis diurnis nocturnisque contentissime prosequerentur, ut secundum divinum Apostoli monitum, *sese ab omni carnis et spiritus inquinamento repurgantes, in timore Dei sanctimoniam perficerent*⁸.

⁶ Matt. iv. 17.

⁷ Matt. ix. 13.

⁸ 2 Cor. vii. 1.

ORATIO PARÆNETICA.



AD STUDIOSAM JUVENTUTEM A FERIIS REVERSAM.

HUC nos tandem reduxit, nonnullos autem jam primum adduxit, eadem illa manus suprema, quæ magni hujus τοῦ πάντος habenas moderatur, quæ ventos tumidos et mare temperat, quæ gentibus et regnis bellum pacemque pro libito dispertit. Magnus ille rerum Pater et Dominus, grandiora illa dum gubernat, pusillum certe hunc gregem non despicit, nos modo illum suspiciamus, et, ut benignus beneficusque intersit, humiles supplicemus: imo intra nos et in pectoribus nostris habitare non dedignabitur, ni illi nos, male sani et bona ignorantes nostra, introeunti aditum præcludamus. Celsissimus est, et tamen cor humile pro gratissimo in terris domicilio eligit: superbos autem et inflatos, qui sic infra se positos intuentur, ille vicissim velut e longinquo aspicit et despicit. Sanctissimus est, et pectora nisi terrorum affectuum inquinamentis repurgata non incolit. Utque illa sacra sint, et illius vere sacræ

majestatis capacia, lustrentur necesse est. *An ignoratis*, inquit divinus Apostolus, *vos, etiam corpora vestra, Spiritus Sancti templa esse*¹, et illa ideo sancta et pura conservanda? Mens autem intus habitans sanctior adhuc sit, utpote templi illius et numinis sacerdos, sacrificium et suffitus suaves, affectus pios, et obedientiam alacrem, precesque et laudes divinas jugi ac indefessa pietate offerens.

De studiis vestris et eruditione exotica nolo multis vobiscum agere. Perexiguum est, fateor, quod sciunt, qui inter literatos tum studiosissimi omnium, tum ingeniosissimi sunt. Cum tamen linguarum et scientiarum quantulacunque peritia nostræ hujusce familiæ et curriculi hujusce vestri negotium sit, agamus, quæso, ut monent Hebræi, *opus diei in die suo*:

Tempus nam tacitum subruit, horaque
Semper præterita deterior subit.

Philosophiam prosequimini non garrulam et sterilem, sed solidam et veram; non in verbis et rixis infinitis fluctuantem, sed in res ipsas penetrantem; acriter enim monuit, qui dixit, *Φιλοσοφία Ἑλλήνων λόγων ψόφος*. *Græcorum philosophia verborum strepitus.*

¹ 1 Cor. vi. 19.

Qui autem philosophamini, memineritis interea, vos non adeo severas colere musas, quin simul et disertos esse liceat, imo expediat. Ad hoc itaque vosmet pari passu exerceatis velim, tum ut rerum scientes ac periti sitis, tum ut de rebus sic cognitis sensa animi commode expromere, verbisque et sententiis aptis exprimere possitis, sine quo scientia omnis *sepultæ inertiae paulum* distabit.

Et hujus quidem *συζυγίας* non solum rationem magistram, sed et ipsum Aristotelem auctorem habetis; cujus, ut ferunt, mos in docendo hic fuit, ut in schola deambulando mane philosophiam doceret, ac rationes eas quas *ἀκροαματικὰς* ætas illa vocare consuevit, idque agebat usque ad horam unctionis et gymnasticæ excercendæ, *μέχρι τοῦ ἀλείμματος*; a prandio vero disciplinas tractabat amœniores, juvenesque ad thesin rhetorice declamare jubebat.

Sed ut ad mea revertar, (nam, ut verum fatear, reliqua omnia *ἀλλότρια* habeo,) quicquid de ceteris agatis, sanctæ ac Christianæ philosophiæ primas date, quæ vere² prima est et *κεφαλὴν ἔχουσα*, quippe quæ illum, in quo latent reconditi omnes sapientiæ thesauri, *ὡς κεφαλὴν κρατεῖ*: quod de Christianorum quorundam spuriorum, circa inanes quasdam superstitiones et observatiunculas

² [Edd. vera.]

philosophantium, doctrina negat Apostolus. Hanc colite, inquam, sacram sapientiam cœlitus demissam; ἐν ταύτῃ ἐστέ, cujus et mysteria altissima, et præcepta purissima simul ac placidissima. Et in hoc quidem studio non oberit tibi ingenium obtusius, modo adsit propensi animi ὄρμη et desiderium ardens. Hic sicubi alias judicium est, ἐὰν ᾗς φιλομαθής, ἔσει πολυμαθής· *si avide didiceris, multa disces*³. Humanam enim philosophiam quidam, pertinaci licet industria, ut fastidiosam tamen dominam frustra ambiunt; divina autem etiam fatuos ultro invitat.

Atque hoc quidem tardioribus, et in scientiis humanis etiam per improbissimum laborem minus proficientibus, levamento et solamini non exiguo esse poterit, doctrinam hanc cœlestem, licet altissimam, infimis tamen et humillimis non solum non imperviam esse, sed et illos lubentissime admittere, et amicissime amplecti, doctisque et elatis anteferre, et non raro in altiores suæ cognitionis gradus provehere, secundum illud Psaltis, *Lex DEI pura, oculos illustrans, et sapientiam præstans etiam imperitis*⁴. Vos itaque, quos reliquis in studiis ἀελλόποδες nonnulli longis intervallis a tergo relinquunt, recolligite animos, et ad illud quicquid est dedecoris eluendum, et quicquid est tristitiæ discutiendum, huc confugite:

³ Isocrat. ad Dem.

⁴ Ps. xix.

non poteris forte ad par cum aliis eloquentiæ aut philosophiæ fastigium assurgere; sed quid obstat, quæso, quin æque ac quisquam alius, pius sis et modestus, humilis et mansuetus, sanctus ac purus corde, et sic vere beatus post paucos dies plena illa DEI visione inter Angelos et Sanctos DEI æternum victurus?

In hac autem sapientia si felices progressus facere avetis, omnibus certe carnis seculique illecebris bellum indicendum est, quæ animos enervant, et vires frangunt, et ad doctrinam hanc quam maxime puram et immaculatam imbibendam ἀμούσους plane et ineptos efficiunt. Et quanti stuporis est, bona, si modo bona dicenda, tam evanida tamen et fugacia, tam avidè captare, τὰ ἄνω καὶ κάτω φερόμενα, καὶ περιτρεπόμενα, καὶ πρὶν ληφθῆναι ἀπίοντα! Merito exclamat Vir in pietate egregie doctus, *O qui omnem vanam sollicitudinem amputaret, et salutaria duntaxat ac divina cogitaret, quantam quietem et pacem possideret!* Et pax certe est, quam poscimus et quærimus omnes, viam autem paucissimi; et patet tamen. Sed quid mirum est, cæcos et sine duce palantes a via licet apertissima aberrare? Habemus autem nos et felicissimum et fortissimum Ducem; illum sequamur unice, quem qui sequitur non ambulabit in tenebris.

OREMUS.

DEUS invisibilis, omnia videns, Lux æterna, cui omnes tenebræ lux sunt, et cui conjuncta, omnis alia lux nil est quam tenebræ: at mentis nostræ acies obtusa lucis tuæ inaccessæ plenos et apertos radios ferre non potest; nec tamen sine aliqua cœlestis hujus emissionem gressus nostros dirigere, et versus illam plenam lucis patriam progredi poterimus. Placeat itaque tibi, Pater luminum, veritatem et lucem tuam emittere, ut nos ad montem sanctitatis tuæ recta deducant. Tu bonus es, et boni Fons; da nobis intellectum, ut servemus mandata tua. Satis est et vere nimium, quod anteactæ vitæ nostræ umbras insequendo perdidimus; reduc animas nostras in semitas vitæ, et illarum mirabilis dulcedo, terrenas omnes voluptates tam longe superans, fortiter et suaviter nos teneat, ne ullis seculi aut peccati blanditiis illecti recedamus. Dele, precamur, ex animis nostris impuras omnes imagines, ut pulcherrima tua et sanctissima imago nobis intus renovetur, et te contemplando crescat in nobis quotidie divina illa similitudo; cujus tandem perfectio in plena illa, quam speramus, visione nos in æternum beatos efficiet. Donec autem aspiraverit exoptatissimus ille dies, et aufugerint tenebræ, adsit nobis Spiritus tuus, ejusque divinam gratiam præsentem et efficacem sentiamus, quæ nos continenter regat et

sustineat; ut conatus nostri omnes tum in hoc cœtu, tum per reliquam vitam beatissimi nominis tui honori inserviant, per Dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*



PARÆNESES

AD

GRADUS MAGISTRALIS IN ARTIBUS CANDIDATOS

IN

COMITIIS ACADEMICIS EDINBURGENIS HABITÆ.

PARÆNESIS PRIMA.

DE plerisque humanæ vitæ negotiis, iis etiam quæ habentur summa, et summo cum studio ac strepitu geruntur, si, quod intime sentio, libere eloqui fas sit, hoc fere est quod dixerim, *Magno conatu magnas nugas*: sin autem hoc, quasi jam paulo importunius, et velut in solennitatis hujus vestræ contumeliam dictum, gravatim accipiatis, eo tamen facilius ignoscetis, quod una cum philosophica hac vestra magnatum itidem et principum concilia ac πανηγύρεις celeberrimas, et cum laurea hac vestra illorum etiam aureas coronas, in unum fasciculum cogam, et καπνοῦ σκιᾶς οὐκ ἂν πριαίμην, *nihili quidem emerem*. Maximorum etiam ducum et regum quantalibet cum magnificentia et φαντασίᾳ ornentur triumphales, aut inaugurales, aut nuptiales pompæ; tamen, tanquam hoc ipso veri¹ totius eorum falsæ et pictæ et bracteatae felicitatis icones sunt, dum spectantur aufugiunt, easque a tergo et perquam brevibus intervallis eorundem funebres insequuntur, quæ quidem mortis sunt in triumphatores ipsos triumphales: transeunt scenæ, transeunt et actores; et transeunt quidem gran-

¹ [Sc. veri icones, quod debebat esse veræ.]

diora illa mundi inanis spectacula. Nos, ut vincta cædamus nostra, propiori hoc intuitu contemblemur, et meminerimus hanc, quam vocatis, lauream quam brevi secuturæ sint cupressus; et quam multi, qui has ipsas, quas nunc agimus, partes sua hora egerunt, jamdudum peregerint et exierint, et longæ traditi sint oblivioni; et quam denso agmine subsequens jam jamque succrescens ætas etiam nos in eandem lethen quasi protrudat, ipsa etiam nos impellendo eodem simul pariterque festinans. Somnia sunt hæc quæ videmus, et quæ agimus, et quæ sumus; quod qui non sentiunt, ideo est quia dormiunt adhuc, nec est nisi animi experrecti hoc dignoscere, et hæc noctis *ἐμπαίγματα*, *ludibria*, videre et spernere. Hisce quidem interea et hujusmodi pro more formulis morem gerere nil vetat, fiat modo tanquam aliud agentibus, alioque altius prospicientibus. Ecquid, quæso, est cui anhelis votis et studiis toto quadriennio aspirastis? Ecce pileum, et titulum, et præterea nihil.

Sed hoc fortassis ægre ferentes, tacita licet et intus repressa epanorthosi, *εὐφημεῖν* jubebitis; quin et ipse lubens parebo, vel ultro corrigam. Non sunt levia hæc munuscula sudoris vestri et studiorum merces præcipua et scopus, sed insignia tantum et *τεκμήρια* honoraria eruditionis illius et scientiæ, qua, exantlatis annorum horum laboribus, imbutæ sunt animæ vestræ. Sed et hoc

quantumcunque est eruditionis, quo proveci estis, serio reputetis velim, quam exiguum sit et pene nihil, imo si cum eo quod nescimus conferatur, nihilo ipso immensum minus: hoc certe sciolorum est, et inanis indoctæque mentis indicium, scientiæ opinione inflari; magni ex adverso profectus et doctrinæ signum est, indoctum sese et ignarum persentiscere. Οὗτος σοφώτατος, ὅστις ἔγνωκεν ὅτι οὐδένας ἄξιον ἔστι πρὸς σοφίαν². *Ille sapientissimus est, qui scit se ad sapientiam consequendam ineptum.* Ut ut sit, scientias et artes has, quas colitis, quod ad vitæ commoda et emolumenta, inertes sæpius et inutiles et steriles prorsus comperimus; et liberalius fere agitur aliis cum artibus illiteratis et illiberalibus, imo et illicitis, quam cum his quas liberales vocamus.

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit;
 Qui pugnas et castra petit, præcingitur auro;
 Vilis adulator picto jacet ebrius ostro;
 Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.
 Sola pruinosis horret facundia pannis,
 Atque inopi lingua desertas invocat artes.

Cum tamen nonnunquam felicius cedat, vos, ut opinor, ingenui Juvenes, de sorte vestra spes alitis meliores: nec repugno equidem; hoc tantum salubri monito lubens illas temperarem, baculo arundineo ne innitamini, nec ulli incertæ et fragili fallacique spei sese committat animus, cui

² Plat. Apol. Socr..

pax sua et vera magnitudo ac εὐθυμία in pretio est. Hoc enim pacto solum fere humanum genus vere εαυτοντιμωρεύμενον evadit; futuris quippe semper inhiantes multa nobismet et magna incassum pollicemur, quibus, ita ut fit, plerumque exidentes, stolidam voluptatem dolore consimili luere necesse est. Sic quidem plerisque hominum miseram hanc ætatem falsa gaudia et veri cruciatu, spesque ac metus æque inanes, totam perterunt: *hæc inter dubii vivimus et morimur.*

Sed pauci, heu! pauci, nonnulli tamen, quibus sanior mens est, cœlestibus intenti bonis, vilia hæc et caduca excelso animo calcare et proterere gestiunt, totisque viribus ac studiis in hoc unum connituntur, ut partem sui diviniorem a terra et carne sevocantes, puritate et pietate et familiari rerum divinarum contemplatione, sanctissimo ac supremo DEO, spirituum Patri, assimilare et unire possint. Atque hoc unum est certe, cujus nobilissima ambitione animas vestras accensas velim; et quamcunque demum studiorum vitæque rationem amplectamini, huic uni studio indesinenter incumbatis, hortor et obsecro: fugite, si quid me auditis, procul fugite eristicam et rixosam theologiam, quæ sterilis λογομαχία et matæologia potius dicenda.

Ulteriora captant usque, et sese incassum torquent, fere omnes; nec est inter hæc requies

nostra, ubi, seu instabilibus et fluctuantibus aquis, vanitatis diluvio cooperta sunt omnia; anima autem circumvolitans, et ubi pedem figat frustra explorans, miserrime et dies suos et operam et seipsam perdit:

Quæsitisque diu terris ubi sistere possit,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.

O! quanto potiora spinetis istis sunt amœna illa Evangelicæ doctrinæ prata, quibus utile dulci permistum est; unde pacis æternæ viam, et divitem spiritus pauperiem, et pulchram cordis puritatem, et ineffabilem caritatis, humilitatis, et mansuetudinis dulcedinem addiscatis. Quibus quidem instructæ et ornatae mentes vestræ, etiam inter vitæ hujusce terrenæ strepitus et tumultus jucundissima fruentur tranquillitate, eritisque vos, quod hodierno vestro nomine, O! quanto sublimius et felicius est! (ut aptissimo Tertulliani verbo utar) *æternitatis candidati*. Et supremus ille dies, quem seculi hujus mancipia reformidant, vobis vero felix faustusque futurus est; vos scilicet e tenebroso carcere in lucem plenissimam emissurus.

OREMUS.

CELISSIME DEUS, qui totam hanc machinam, omnesque ejus incolas, visibiles et invisibiles, solus condidisti et gubernas; cujus unius nomen mirabile

est, et immensis laudibus efferendum, omnique et laude et admiratione majus. Laudent te cœlum et terra, et omnia elementa; laudent te tenebræ et lux, omnesque dierum et annorum et rerum omnium vices; laudent te Angeli et Archangeli, totaque beata curia cœlestis, cujus hæc ipsa beatitudo est, quod incessanter laudibus illis celebrandis occupetur. Fatemur, Domine, nosmetipsos omnium quidem indignissimos qui te laudemus, sed et omnium tamen devinctissimos; imo et quo indigniores, hoc ipso tanto devinctiores. Et ab hoc munere, qualescunque simus, nec nobismet temperare possumus, imo nec debemus. Benedicant tibi animæ nostræ, et interiora nostra omnia nomini sanctitatis tuæ; qui peccata nostra omnia condonas, et morbis nostris omnibus mederis, qui reducis a fovea animas nostras, et benignitate et misericordia coronas. Scrutaris tu, Domine, et pernovisti intimos cordis recessus: preces illas, quas cordis voces et vota esse perspicias, noli aversari: hoc autem unice petunt, ni et nos usque fallant, corda nostra, avocentur a terrenis et perituris omnibus; et si quid est cui pertinacius adhærescant, manu tua omnipotenti avellantur, ut tibi ipsi connubio stabili jungantur in æternum; nec est ultra quod petamus. Hoc tantum ecclesiæ tuæ nomine adjiciamus, ut alarum tuarum umbra protegatur, et rore cœlesti ubique terrarum irrigetur, quo spiritus et inter mundani odii æstus refrigeretur, et intestina ipsius, quibus multo gravius aduritur,

dissidia restinguantur. Benedic genti, huic urbi, nostræque Academiæ, in qua veluti in horto tibi sacro commorari digneris, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*



PARÆNESIS SECUNDA.

VULTISNE verum libere et breviter eloquar? Totus mundus histrioniam exercet; hanc autem fabellam vestram quod spectat, prope jam est, ut dicatis, *Actum est, plaudite*. Si quis autem fastuose leviculum hunc ἔρανον solvere detrectaverit, certe contemptum illum facillime contemptu reciproco excipiendo reponetis, hoc tantum dicentes, *Sua qui mirantur, in illos virus habe; nos hæc novimus esse nihil*: quippe vos hoc probe nosse, non mihi permitto ut diffidam.

Perimportunum certe foret, urgentibus etiam umbris vespertinis, vos et auditores, jam satis superque lassos et audiendo prope enectos, protractiore usque sermone distinerere: paucis itaque unum monebo, ne solenne illud animorum juvenilium ἔμπαργμα vobis illudat, de nova hac, quam ingredimini, vitæ periodo magna quæque et jucunda somniandi. Circumspicite, si lubet, et omnes vivendi rationes vobis a fronte positas exploratore oculo illustrate. Si negotia vitæ πρακτικώτερα, quæ vocant, amplectimini, quid aliud quam rubetum insilitis, ubi nec

spes quiescendi datur ulla, nec facilis regressus? Sin studiorum novam aliquam ordiri telam magis arrideat, heu! quanto sudore quantillum scientiæ, et quam sæpe post ingentes exantlatos labores in fundo adhuc et nondum extracta ἐκ τοῦ βυθοῦ ἡ ἀλήθεια!

Credimus quidem homini primitus condito inspiratam animam origine sua dignam, puram prorsus lucidamque, fuisse: sed heu! sobolis humanæ pater quam fuit subito et *quantum mutatus ab illo!* Lethifero scilicet mendaci¹ insubide auscultantem hoc momento cita mors invasit, qua et lucem seu veritatem, et puritatem, et seipsum, et nos una perdidit.

Ex illo autem quid fere inter homines doctos etiam, ut haberi volunt, et sapientes reperias, præter andabatarum pugnas? quibus de veritate furiose in tenebris altercantibus ipsa veritas e manibus elabatur; cujus loco umbras quasdam falsasque ejus species utrinque amplectuntur, et, quod aiunt, *nubem pro Junone.*

Quam cæcæ autem est et vesanæ ἀθαδείας, cum vel contemptissimas naturæ minutias totam nostram philosophicam subtilitatem ad incitas redigere vel coacti fateamur, velle tamen nos rerum divinarum

¹ [An mendacio?]

adyta abditissima rimari, et decreta divina aliaque mysteria longe altissima nostro modulo audacter metiri! Quò ruit humanæ mentis pervicacia, dum occultum nihil, dum nil sibi linqvit inausum?

Vos autem, ingenui Adolescentes, hortor et moneo, præcipue qui studiis theologicis nomen daturi estis, disputacis et eristicæ doctrinæ contagiosam pruriginem procul fugiatis, quæ, si qua alia, vere ψευδώνυμος γνώσις dicenda. Et ne vobis hac ex parte vulgaris illa acuminis et eruditionis opinio imponat, fidenter assero, mediocris admodum ingenii esse argutiolas istas, quæ in scholis dominantur, intelligere et callere; ingenii autem vere magni esse eas prorsus negligere et spernere, et in purioris multo ac pacatioris veritatis luce, longe supra turbidam illam et nebulosam polemicorum regionem, versari. At errores redarguere, et sophistarum tela retundere, ad veritatis tutelam necessarium² dicitis. Esto. Disputandum sed paucis; nuda etenim veritas seipsam validissime tutatur, et probe intellecta genuina sua luce tenebras omnes dispellit. Καὶ τὰ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦνται³, *sed omnia illa dum a luce arguuntur manifesta fiunt*, inquit Apostolus. *Rectum est index sui et obliqui*, inquit Philosophus vester. A Clemente Alexandrino vere et graviter observatum, "Ὅτι οἱ παλαιότατοι τῶν φιλοσόφων οὐδὲ

² [Edd. necessariam.]

³ Eph. v. 13.

ἐπὶ τὸ ἀμφισβητεῖν καὶ ἀπορεῖν ἐφέροντο, ἀλλ' οἱ τῶν παρ' Ἑλλησι φιλοσόφων νεώτεροι ὑπὸ φιλοτιμίας κενῆς τε καὶ ἀτελοῦς ἐλεγκτικῶς ἅμα καὶ ἐριστικῶς εἰς τὴν ἄχρηστον ἐξάγονται φλυαρίαν. *Quod antiqui philosophi non ad contendendum ferebantur neque dubitandum: recentiores autem Græcorum philosophi, inani laudis cupiditate commoti, refellendo simul et contendendo ad nugas deducuntur inutiles.*

Una lis est seu controversia, bellum unum nobilissimum et homine Christiano dignissimum, adversus hostes non longe quærendos, in visceribus nostris ingenitos: hos πολέμῳ ἀσπόνδῳ ad necem usque persequi æquissimum. O! Pueri, Juvenes, Senes, in hac militia strenue pugnemus omnes; moriantur ante nos vitia, ne nos pigros et veterno obsitos et luto inhærentes mors opprimat; sic enim verissime et miserrime mors erit; quæ sanctis, et in Christo victricibus, eique conformatis animis vita potius dicenda est, ab erroribus scilicet, a vitiis, a malis omnibus, ipsaque demum morte plena et æterna liberatio.

OREMUS.

ÆTERNE DEUS, quem adorant throni et potestates, Seraphim et Cherubim, Te confitemur dignissimum qui lauderis; nosmet ipsos autem omnium indignissimos, qui te laudemus. Qui fieri potest ut te laudent, purissimam et sanctissimam

majestatem, corpora inquinata, et impuræ animæ, et qui toti nihil sunt quam mera colluvies? Et tamen qui fieri potest, ut te non laudent, sapientissimum et benignissimum suum Conditorem ac Patrem, corpora, quæ adeo mirifice efformasti, et animæ quas inspirasti, et qui toti, quicquid sunt, quicquid possident, quicquid sperant, gratuito favori tuo unice debent? Benedicant itaque tibi animæ nostræ, et omnia interiora nostra nomini tuo sanctissimo; imo dicant omnia ossa nostra, Quis similis tibi, Domine? quis similis tibi? Absit, Pater optime, corda nostra incolat quicquam, quod tibi displiceat: sint velut templa tibi dicata, ab omni idolo et effigie, ab omni impuro amore et affectu terreno repurgatissima. Habitet et regnet intra nos Rex et Redemptor noster dulcissimus, tososque nos spiritu suo possideat, ac per omnia gubernet.

Regnum suum pacificum et salutiferum per orbem totum habitabilem de solis ortu ad occasum usque protendat. Agnoscant gentes Regem suum, et in illo Insulæ lætentur; interque eas hæc, quam incolimus, cum vicinis Insula: utque in illo vere beatæ sint, sceptro ejus aureo sanctisque Evangelii legibus se indesinenter et observantius subjiciant. Benedic huic genti, et urbi, et Academiae huic nostræ; Spiritus tui rore indesinenter irrigetur, et fructus tibi gratos ubertim producat, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

PARÆNESIS TERTIA.

PERTRANSIIT jam fere et in occasum ruit exoptatus hic vobis per totum quadriennium dies. Ecquid autem protulit, quo sinum impleat, quicumque est inter vos messorum felicissimus? Nolo equidem, etsi mihi paulo liberius *παρήσιαζοντι* fortasse veniam daretis, nolo tamen studia vestra præterita, eorumque hodierna specimina et insignia, nimium elevandi ipse mihimet licentiam indulgere. Hoc certe, nec vobis (ut puto) diffitentibus, dixerim, pleraque omnia hæc, quibus tam impense insudamus et inhiamus, ipsamque adeo philosophiam vestram, magnum illud in philosophia *παράδοξον* asserere, et reapse probatum dare, *dari* scilicet *in rerum natura vacuum*. Et O quantum vacuum! Cum et ipsi homines nos pars sumus non exigua. Hic autem licet pauxillum sollemior dies, inanium tamen aliquot qui prætervolarent dierum clausula tantum est et coronis, ipse pariter cum illis inanis intermoriens. Sed O! quam candidus illucescet optatissimus ille DIES, in quem per omnes ævi hujusce evanidi dies puræ et caræ DEO mentes votis indesinenter aspirant, donec aspiraverit ipse, et aufugerint umbræ.

Et hucusque quidem quod assecuti estis, nihil magni esse, vestrum cordatiores ultro fassuros credo. Sed ex hinc forte quasi de integro vitam adorsi, grandiora molimini et viris digna; jam vivere et sapere incipitis. Spes et vota disponitis in artes, in opes, in honores; et belle quidem. Unum tamen ingeniosis hisce consiliis et cogitatis interspersum velim: Quid si mors superveniat, invidumque hoc votum et in longinquum sese protendens artificium obliquo oculo videns interrumpat, et velut aranearum telas levi flatu disjiciat? Nec est hoc adeo insolens et prodigii instar, quin potius mortalium ferme omnium assuetissimum fatum. *Victuros agimus semper, nec vivimus unquam.* Nec solus Archimedes, sed magna hominum pars, figuris suis in arena descriptis ex improvise immoritur. O miseri homunciones! qui sese quasi ad metalla damnantes, hoc studiosissime curare videntur, ne unquam in libertatem exeant. Hinc nova veteribus substituuntur negotia, et, quod vere Romanus sapiens, *Spes spem excipit, ambitionem ambitio, et miseriarum non quæritur finis, sed schema tantum mutatur.* Candidati laborare desivimus, suffragatores incipimus: accusandi deposuimus molestiam, judicandi nanciscimur; et qui in alienarum mercenaria procuratione consenuit, suis tandem opibus detinetur. Dicunt nonnulli, A quinquagesimo in otium secedam, vel sexagesimus annus ab officiis me dimittet. Insane! non pudet te

istas vitæ reliquias et fæcem tibi reservare? Sed et quem tandem longioris illius vitæ prædem accipis? Et quam stulta mortalitatis oblivio, inde velle vitam inchoare quo pauci perducunt!

Vobis opto, ingenui Adolescentes, saniora consilia: introrsus secedant animæ vestræ, et secum habitent; excussisque omnibus, quæ circumstant et circumstrepunt, tricis, expendite serio, longum quidem non esse quod decurrendum est reliquæ vitæ stadium, nisi hoc uno, quo certe in querelam longum est, quod malis sit omnigenis miseriisque refertissimum, et quam nihil habeat in se amabile præter unicum cælestis sapientiæ studium, τὰ δὲ ἄλλα τύφος. Circumspicite et videte, numquid est quod affectum attrahat, quin potius omnia quæ indignabundum avertant? In domo lites, in agris latrones, clamor in rostris, scelus in castris, fucus in templis, dolor aut dolendus error ubique. Inter divites et magnates fictæ et leves amicitia, et inimicitia graves, invidia, fraudes, mendacia, et curæ *laqueata circum tecta volantes*. Quanta autem mortalium pars cum apertis et canoris miseriis colluctatur! Quocunque te vertas, quid fere audias præter threnos et luctus? quot pauperum, vel quotidiani victus indigentia laborantium, vel sub gravi potentiorum tyrannide spiritum ægre trahentium querelas! quot languentium et morbidorum gemitus! quot propinquos et caros morte abreptos lugentium planctus, qui et ipsi

mox pariter ab aliis lugendi! quam innumera denique multiplicium miseriarum ἀμοιβήδην sibi respondentium antiphona! Talis autem vita, quid mirum si et sapienti viro hujuscemodi voces dolorum pondere nonnunquam exprimat,

Μῆτερ ἐμή, τί μ' ἔτικτες, ἐπεὶ πολύμοχθον ἔτικτες;
Τίπτε μὲ τῶδε βίῳ δῶκας ἀκανθοφόρῳ;

Mater mea, cur me peperisti, cum ærumnis plenum pepereris?
Cur me in vitam hanc edidisti spinosam?

At philosophi jam vos estis, et inter hæc tristia philosophiæ et scientiarum forte, quas hausistis, interiori opulentia vosmet solamini. O scientiarum! *Dic, quibus in terris?* Sciamus, oro, ubinam habitent, ut eo turmatim confluamus. Novi quidem ubi sit inanium verborum strepitus, et rixantium opinionum collisio; ubi sub scientiæ titulo barbata sit et togata ignorantia, novi: ubi autem vera scientia, plane nescio. In tenebris palpamus, et veritatem unam quæritantes innumeris implicamur erroribus. Sed quicquid sit de rerum naturalium cognitione, quod ad cœlestia et divina, benignitatis immensæ divitias donumque amplectamur læti, et gratulemur, quod oriens ex alto nos inviserit, et *cum nulla*, inquit Lactantius, *in terris esset sapientia, e cœlo misit Doctorem*. Illum sequamur Ducem, quem qui sequitur non ambulabit in tenebris.

OREMUS.

INFINITE, æterne, cœlorum et terræ, corporumque et spirituum Conditor et Rex, qui immotus ipse omnia moves, et pro beneplacito mutas, ipse prorsus immutabilis, qui cuncta manu sustines, et nutu gubernas, maxima, minima; nec maxima tibi oneri sunt, nec minima despectui. En gentes coram te ut gutta situlæ, et tanquam in lance pulvisculus; et Insulæ hæ nostræ, cum reliquis omnibus, res in conspectu tuo minutissima. Et tamen his cœtibus et negotiis nostris perquam exiguis interesse non dedignaris. Adorent te animæ nostræ, et ad throni tui scabellum humillime procumbant, gratiam continenter expetentes, et gloriam continenter offerentes. Nil tibi adjiciunt laudes nostræ, sed nos ipsos beant et attollunt, et Angelorum choris inserunt; illas tamen benigna accipis manu, tanquam prima sacrificia, et grati odoris thymiamata. Celebremus te, Domine, qui magnus es et magnopere laudandus. Celebrent te omnes gentes ab exortu solis usque ad occasum. Accende divini amoris tui flammis corda nostra, ut tota tibi in holocausta ascendant, et nihil nostri remaneat nobis. O! beatam transmigrationem, ubi cæca carnis fiducia in vivam et puram tibi soli innitentem fidem conversa est; ubi seculi et nostri amor in pulchritudinis tuæ infinitæ amorem est mutatus; ubi voluntas nostra

in tuam transiit et absorpta est tota. Fiat, benigne Pater, fiat; hæc enim tui solius dextræ mutatio est, quam sentiente anima nostra, velut in templis tibi sacratis, laudes intra nos tuæ in perpetuum resonabunt.

Favoris tui lumine vigeat, Domine, et lætetur tota Ecclesia tua. Academiae huic nostræ, et urbi, et genti propitius sis. Densas, oramus, nebulas discutias, ventos et procellas compescas; nam et ubi maxime vociferantur ipsi et fremunt, vocem tamen tuam obtemperanter agnoscunt: Tu DEUS solus pacis es, qui pacem loquendo creas; utque Justitia et Pax in mutuos occurrant amplexus efficis. A te uno pendemus, et tibi soli, quantum possumus, laudem gloriamque reddimus, per Jesum Christum. *Amen.*



PARÆNESIS QUARTA.



PUNCTUM est quod vivimus, et puncto minus. Cum tamen punctum non sit mathematicum, ut loquuntur, aut indivisibile prorsus nobis in minutas partes dividendum; amplum aliquod videtur, et eminentiam spatii magni speciem induit, imo secundum notionem Aristotelicam in infinitum divisibile videtur. Præter vulgares illas et inanes humanæ vitæ partitiones, sive per quatuor ætatis gradus, sive per decadas, quæ minutiores adhuc annorum et mensium supputationes involvunt; magna est insuper, et cuique fere sua, terminorum ætatis suæ distribuenda varietas, diversis ex negotiis, et studiis, et casibus, et vitæ toties mutata ratione resultans. Nec dubito quin vos, studiosi Adolescentes, hunc ipsum temporis articulum tanquam novæ periodi vitæ seu ætatis initium intueamini; et per me quidem licebit, modo hoc simul serio cogitetis, quam evanidum, quam nihil sit totum hoc, quicquid ævi est, quod degimus. Et in quascunque particulas distinguamus, certe si miserias et luctuosas vitæ calamitates spectemus, etiam pueri ætas nimis longa videri poterit; sed si spatium ipsum vel annosissimi senis, O quam brevis est et fugax vita!

Et magna quidem hominum pars, ubi sese jam rerum humanarum capaces sentiunt, et virilem aliquam vitæ rationem meditantur, sub ipsis vitæ initiis intempestiva morte abripiuntur. Et hic certe gravis est et juventutis, imo et senectutis morbus, quod desideria et proposita sua homines in longinquum mittant, et negotiorum studiorumque telas in multos annos ordiantur; perraro interea atque leviter admodum recogitantes, quam inepta res sit et fallax a crastino pendere, et quam cito aufugiat halitus¹ hic noster, nosque in terram nostram recidamus, *quo eodem die*, ut monet Regius Vates, *pereunt et summorum magnatum et principum etiam sapientissimæ cogitationes*. Hoc idcirco moneo, cari Adolescentes, ne talis illusio mentes vestras insideat; nec enim vulgus tantum hominum ea laborat, sed plerique etiam qui non solum docti, sed et sapientes haberi volunt et habentur. Non quod vos prohibeam, imo rationibus omnibus suaderem potius, ut instituta et studia vitæ tum provide et prudenter, DEO duce, eligatis, tum ubi elegeritis, iis prosequendis et perficiendis sedulo incumbatis. Hoc tantum vobis dico cavendum, ne multas et magnas in hoc seculo spes longaque serie complexas nectatis, quas omnes nocturnis somniis vaniores brevi comperietis, instrumento aliquo, vel agendi facultate, vel eventu optato, vel ipso vitæ vestræ filo illas et vos

¹ [Edd. *habitus*.]

destituente. Et utcunque protrahatur ætas, et successus votis continenter respondeant, obrepet tamen, nostis, et memineritis velim, obrepet, inquam, et O quam cito! fatalis ille et finalis dies, quo relinquenda erunt omnia, tam quæ perfecimus² et adepti sumus, quam quæ inchoata tantum, vel etiam spe sola et consiliis concepta sunt.

Atque hæc ipsa, quæ cohibendis animis vestris dicta sunt, ne longe nimis prospiciatis, suadent simul, ut multo longius prospiciatis; non longe in terrenis, quæ longa quidem non sunt, sed longius multo, id est, ultra terrena et peritura omnia, ad ea quæ cœlestia sunt et æterna. Ad quæ qui oculos non elevant, cæci sunt, ut loquitur Petrus Apostolus.

Sed de vobis, cari Juvenes, spero meliora. Non est, ut opinor, quod multis urgeam industriam vestram, et assiduum in studiis humanis et philosophicis progressum: in quibus, si quid de solenni curriculo Academico temporum horum injuria et infelicitas surripuit, id certe lectione sedula quamprimum subsequutura reparandum erit. Sed etiamsi nil tale contigisset adversi, credo vos non ignorare, studiorum illorum in scholis nostris tantum jacta esse fundamenta, quibus plures anni et indefatigata industria plenioris eruditionis ædificium superstruant, quod divini Spiritus accessu

² [Edd. *perferimus*.]


DEO in templum consecretur. Atque hoc est quod præ omni alio studio vobis in pretio et votis esse velim, ut *sancti sitis*, quoniam *DEUS noster sanctus est*: ut ex hisce gymnasiis egressos vos, O! non inveniant ii, quibuscum versamini, vanæ et leviculæ scientiæ opinione inflatos, et pertinaces, et dicaces, et importunos ubique disputatores; sed intueantur omnes tanquam typos et exemplaria pietatis, puritatis, temperantiæ et modestiæ, et omnimodæ virtutis, præcipue humilitatis, quæ præclara est et insignis Christi virtus, quam apprime suis a se discendam commendat: nolo autem vel suspicari quenquam vestrum aut impudicum, aut gulosum, aut vinosum, aut ulla ratione profanum impiumve futurum. Hortor vos et obsecro, cari Juvenes, in hoc unum animos vestros intendite, ut corda vestra ab ignobili et impuro omni terræ carnisque amore repurgetis, DEO unice vivatis in terris, et tum certe hinc migrantes, una cum DEO æternum vivetis in cœlis.

Felix sit vobis hic titulus opto; sed Patrem luminum oro, ut solidiori et celsiori multo præ humano honore vos dignetur, ut filii DEI vocemini, et ut tanto nomini Patrique condecenter vos geratis.

OREMUS.

ÆTERNE Rex, cujus solium firmum manet et immobile ab omni ævo, et in omne ævum per-

mansurum est: cum nondum montes producti essent, cum necdum formasses terram et orbem, imo ab æterno in æternum tu DEUS es. Quæcunque sunt, visibilia et invisibilia, omnia hoc, quod sint et vivant, a te uno mutuantur, et tibi omnia ut supremo Regi et Patri a summis usque ad infima famulantur; multa quidem inscio et cæco, certo tamen et constanti obsequio, alia autem videntia et volentia, reliqua etiam invita et renitentia. Magnus es, Domine, magnus et summopere laudandus, et magnitudinis tuæ nulli sunt fines: multum distant cæli a terris, sed multo longius celsitudo tua ab omni termino et conceptu nostro. Imprimas, oramus, cordibus nostris, benignissime Pater, profundam tui nominis reverentiam, et vilitatis nostræ nostrique nihili humillimum sensum; et nos tibi gratos faciat gratia tua in dilecto JESU, obliterated per sanguinem crucis peccatis nostris omnibus, et Spiritu ejus in nos cœlitus effuso. Irradia, alme DEUS, hunc cœtum nostrum tui favoris lumine, et hoc, quod, te benigne disponente et approbante, jam occurrit agendum, comitetur, quæsumus, efficax tua benedictio, et insequatur nominis tui gloria, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*



PARÆNESIS QUINTA.



VERA quidem est, et jamdudum inter homines trita, de prætereuntium omnium et pereuntium rerum vanitate querela; sed non minus verum est, ipsius humani cordis vanitatem omnem aliam, quæ in rebus est, superare; quo certe, inter omnia quæ nos circumdant levissima, nihil levius et fugacius inveniri potest: huc illuc volitat, bonumque illud verissime unum et verum et vere suum deserens, umbras boni et pictas imagines ineptia plusquam puerili sectatur.

Errat in terris homo, sperat, optat, quærit, explorat, cupit, ardet, alget, nil videt rectum, queritur malorum omnia¹ plena. Et tamen is ipse est, qui malis omnia replevit et sese maxime, et inter hos malorum intra et extra se reciprocantium fluctus jactatus, irrequietam et incompositam vitam transigit, usquequo dum ineluctabili lethi voragine absorbeatur. Hæc autem quam probrosa est humani generis ἀβελτερία, nullam plerosque certam secum et fixam inire rationem, sed pronorum animantium more, sine consilio, sine scopo

¹ [Edd. *omnium*.]

vivere et mori. Quam rari enim sunt, qui sæpius multumque secum animo revolvant, unde venerint, quo tendant, quorsum vivant; qui sese explorent quotidie, et in se descendant, et ad Patrem patriamque suam cœlestem frequentissimo animi aspectu ascendant; qui stent super temporalia, et speculentur æterna: hi autem soli hominum vivunt et sapiunt.

Atque huc est, cari Juvenes, quo lubentissime animas vestras excitarem; imo utinam igneis cœlestis sapientiæ quadrigis eo rapiantur! Vilia miretur vulgus, spem suam et vitam disponat in opes, in honores, in artes; vestros animos altior longe accendat ambitio. Nec istis tamen vobis in totum interdico, sed moderamen suadeo. Hæc enim nec magna sunt nec firma; mirum tamen quam facile hisce infletur humana vanitas. O quam tumidum nihil est hoc quod vocamus hominem! quia enim *pauci dignoscere possunt vera bona*, quæ solida sunt et intus pulchriora; hinc est quod tam avidè, quæ levia et insulsa² et nulla sunt, aucupentur, et hisce aliquatenus potiti atque ornati animos attollant.

Rem enim ipsam si pensitemus; divitiis aut titulis aut fama gloriari quam deliræ mentis est, cum hæc quidem non pars ulla nostri sint, nec

² [Edd. *sulsa*.]

secure nostra! Qui autem scientiæ opinione cristas erigit, ille et rerum et potissimum sui ignarus est, qui non norit, quam vere ipsum humanæ scientiæ cacumen inscitia potius dicenda est. O quantum est quod nescimus, et quam minima naturæ maximam nobis exprobrant ignorantiam! De divinis autem quis est qui non fateatur, ὡς οὐδὲν ἀνθρώποισι τῶν θείων σαφές; *Nihil rerum divinarum hominibus apertum.* Quia enim apertam rerum divinarum lucem ferre non posset mentis nostræ terrenis hisce gurgustiolis inclusæ acies obtusa, patefecit tantum de sese Sapiencia prima, quantum ad³ gressus nostros versus plenæ lucis ὑπέρτερα δώματα dirigendos sufficiat. Cui quidem studio et curæ, quisquis hisce fidem adhibet, sine dubio primas dabit, ut illam scilicet præfulgentem in tenebris divinæ lucis facem constanti tramite sequatur. Non equidem studia philosophica homini ingenuo contemnenda judico, nec linguarum peritiam, et ipsam grammaticam, in quibus certe omnibus expeditior et felicior docendi⁴ ratio optanda foret; sed hoc est quod instantissime suadere et persuadere velim, ut cum qualicunque eruditione vel ingenii cultura puram religionem, et divinum amorem, animi modestiam, morumque suavitatem insolubili nexu jungatis. Nec enim ignoratis, quam inanis et humilis res sit omnis etiam altissima scientia humana, si cum animæ hujus nos-

³ [*Ad* in edd. deest.]

⁴ [Edd. *docenda.*]

træ tum duratione, tum dignitate conferatur; illa etenim quantacunque sit, usu suo et prospectu toto intra breve hujus caducæ vitæ spatiolum concluditur. Anima autem hæc, quæ disserit, et discit, et docet, post paucos dies hisce omnibus æternum valedictura et alio migratura est. O! quam nihil sunt omnes artes et scientiæ, omnis eloquentia et philosophia, præ hac una sollicitudine, ut fatalis ille exitus felix faustusque sit, et egrediamur immortalitatis candidati, ad quam tamen non itur, nisi per viam lacteam sanctitatis.

OREMUS.

IMMENSE et æterne DEUS, qui et densam inhabitas caliginem et lucem inaccessam; quem nemo mortalium vidit, aut videre poterit; hæc tamen omnia opera tua signanter edicunt et clamant sapientiam, et potentiam, et bonitatem infinitam. Et hæc cum contemplamur, quid est quod cupiant animæ nostræ, nisi ut te ament, te colant, tibi serviant, laudesque tuas in æternum celebrent, cujus celsissimum nomen omni laude, omni admiratione majus? cujus solium circumstant tot beatorum Spirituum myriades indesinenter adorantes, et clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS omnipotens, qui erat, qui est, et qui futurus est. Quæritent alii quicquid volent, et quicquid poterunt, inveniant et amplectantur; hoc unum apud nos fixum ratumque maneat, nobis adhærere

DEO bonum est: fremant maria, concutiatur terra, sursum deorsum ferantur omnia; mens DEO adhærens tuta manebit et tranquilla, in sæculum non commovebitur. O beatam animam, cujus tu requies et lætitia et omnia solus es! erit velut arbor ad rivos aquarum; non timebit cum venerit æstus, nec in anno siccitatis sollicita erit. Hoc est quod petimus et oramus, Pater: solvant catenas nostras manus tuæ; ab omnibus mundi carnisque illecebris efficaciter liberentur animæ nostræ, eademque tua manu benignissima et potentissima tibi uni in perpetuum uniantur, mediante Unigenito tuo, qui pax et unio nostra est. Adsis, alme DEUS, huic cœtui nostro, ut hoc quicquid est operis, quod debito tuæ voluntati obsequio suscipimus, gratiæ tuæ auxilio perficiatur, et nominis tui gloriæ inserviat, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

PARÆNESIS SEXTA.

INTER solennes vitæ technas esse non ignoro, res suas quam fieri potest impense venditare, et si quid iis insit pretii, nullatenus id levare, sed intendere potius, et quam plurimum ut valeant, studiis omnibus conniti; imo quæ vacua sunt penitus ac inania tumidis inflare verbis, et ementita magnitudine efferre; atque aliter se gerere agrestis quidem habetur *εὐήθεια*. Sed vos, moris mei non inscii, frigori huic meo, ingenui Juvenes, facile, ut opinor, ignoscetis: si qui, inquam, sunt qui hæc nostra contemnant, liberrimum iis esto, nam et nos ipsi contempsimus ista priores; sed et una cum istis, libere ut loquamur, mundana omnia; *πάντα μία κόυς*. O vitam spatio brevem, miseriis longam, opertam tenebris, laqueis obsessam, inter falsa gaudia et veros cruciatus, spesque ac metus pariter vanos, totam fluctuantem, et tamen perditæ atque insane a plerisque adamatam! et mori nolumus, et vivere nescimus; præsentia leviter ac febriculose fastidientes, et futuris avidè atque impotenter inhiantes, mox ubi aderunt, eadem

nausea excipiendis: inter fugacis enim hujus vitæ bona nihil æque adeptis ac optantibus gratum.

Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet poenitet; et quæ nuper sibi quis putavit prima, ea in experiundo repudiat. Ægri certe animi est ista jactatio, et a centro suo et requie sua unica perpetuaque divulsi indicium. Nec longe quæritandum est vobis, Adolescentes, morbi hujus exemplum; quivis vestrum in sese descendat, quod quidem perpauci hominum et raro faciunt; intus inveniet: levi certe indagine sentietis, alia ut mittamus, quam fervidis hunc diem votis animus vester exoptaverit, cujus tamen voluptatem omnem vel una cum ipso, in occasum jam præcipiti, intermorituram, vel parum admodum superstitem fore moneo. Cui continuo (ita ut fit) succedentes habebitis, vel graves illas vitæ denuo instituendæ curas, vel, quod tanto gravius est atque infelicius, quodque a vobis omnibus, Adolescentes, longissime absit oro, vitæ corrumpendæ et perdendæ illecebras; quæ quidem homines rerum imperitos et incautos, latronum quorundam more, amplectuntur ut strangulent. Vos itaque, si sub ipso liberioris vitæ limine blandientes occurrant fallaces illæ et lethales sensuum voluptates, præmonitos velim, quam sit libero ingenuoque homine, potissimum autem Christiano, indignum, sese adeo vile præstare mancipium, et in turpissimam transire servitutem; quam probrosum sit ac miserum

δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου, et quanto felicior sit ac generosior voluptas, istas omnes sprevisse, et præ puris ac perennibus contemplationis amorisque divini deliciis protinus conculcasse.

Honorum autem fastigia, opumque acervi, magna illa fori theatrique humani idola, quæ velut œstro perciti aut βακχεύομενοι colunt mortales, ὡς οὐδὲν εἰσὶ θεῖον, quod ille olim de Herculis statua, *quam nil sacri*, imo quam nil solidi verique boni in se habeant, quis est qui diutissime ea expertus, ipsa tandem rei veritate victus, tristis licet ac invitus, fateri non cogatur? Scenicus tantum est apparatus hic totus et fulgor, qui vulgares oculos perstringit, et verissime splendida tantum servitus et cerussata miseria. Pathetice S. Bernardus: *O! ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places?* O quam facile æternæ illius et infinitæ pulchritudinis vel tenuissimus aspectus quotidianas hasce omnes in terris formas ex animo delet, ac in contemptum tædiumque vertit!

Si quis autem, perspectis probe et contemptis hisce umbris, solam uberiores rerum agnitionem et doctrinæ rivos sectari statuit, illi quidem saniores esse mentem non est diffitendum; non nescit tamen ipse, si sapit, vel saltem sciat, ut sapiat, quam et hic πολλά ἐστὶ κενὰ καὶ περιέργα, *multa sunt inania et supervacua*; et quam sæpe chartis et

studiis pertinacissime moranti, ac pene morienti, in fumum abeat tota illa industria, et *pereat longe labor irritus anni*; quodque maxime lugendum, in ipsa etiam scientiarum artiumque omnium domina, Theologia, cum et sacræ hujus vineæ partem adeo amplam¹ spinæ ac tribuli occupaverint, quot lites ac rixæ, quot tricæ et argutiæ, quæ spinosi forte acuminis nonnihil habeant, at sterilitatem certe et noxam quam maxime! Ævi sui sophistas olim graviter increpans Philosophus, *Quæ, inquit, philosophia fuit, facta philologia est.* Nos certe graviores substituamus querelas, quæ theologia fuit, factam esse matæologiam; et theologorum, heu! quam multi, DEO Uni, eique DEO pacis famulantes, quam levibus tamen de causis *σχίζονται, καὶ κόσμον ὅλον τέμνουσιν ἀθέσμως!* Et vereor admodum, ne ab institutione scholastica et Academica malum hoc magna ex parte originem trahat. Hoc enim negotium sic tractant plerique, ac si finem discendi putent disputare, sicut militiæ pugnare: hinc scholam ingressis altercandi fit initium, finis nullus nisi cum vita: Mors indit silentium, et sic tandem

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt².

Vos autem, ingenui Adolescentes, si quid mea possint et vota et monita, maturius vosmet his

¹ [Edd. *amplum.*]

² Virg. Georg. IV. 86-7.


eripietis flammis ut puro ac cœlesti Spiritus divini igne accensæ mentes vestræ, et sanctitate luceant, et fervidissima ardeant caritate.

OREMUS.

TE decet hymnus et laus, immense DEUS. Hoc una voce clamant omnes beati spiritus in excelsis, et omnes sancti in terris: Dignus es tu, Domine, qui accipias gloriam, et honorem, et potentiam, quia tu condidisti omnia, et propter beneplacitum tuum sunt. Hic quotquot adsumus, unitis cordibus et votis, sacrificium gratitudinis et amoris et laudis quam possumus maxime tibi offerimus. O quam tibi debemus nosmet et nostra omnia! In te enim vivimus, movemur, et sumus. Per te a peccatis nostris redempti sumus, dato Filio amoris tui in pretium et sacrificium propter animas nostras; *castigatio pacis nostræ in illum incidit, et livore ejus sanati sumus.* Et hoc reputantes agnoscimus, nos non amplius esse nostri juris, empti cum simus pretio, et tanto pretio, ut te, Pater, et illum glorificemus in spiritu et in corpore nostro, quæ tanto jure tua sunt; tibi nosmet per totam vitam, quod reliquum est, asseramus, et immundam ignobilemque peccati et mundi et carnis servitutem in perpetuum dedignemur, ut in omnibus tanquam filios Dei et cœlestis regni hæredes nos geramus; ut posteriores quotidie progressus versus beatam possessionem faciamus.

Benedicas ecclesiæ tuæ, ac genti nostræ, et huic nostræ Academiæ: tua sit oramus, te Patrum et Patrem poscimus, et supremum Doctorem, qui cathedram habes in cœlis, et corda doces in terris. Crescat sub institutione tua³ hæc juvenus, ut sit non solum literata, sed præcipue proba, et pia, et vere Christiana, et nominis tui honori integre dicata, per Dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*

³ [Edd. *sua.*]



PARÆNESIS SEPTIMA.

NIL magni certe sunt, nec magni vel a nobis ipsis æstimantur, Academici hæc nostri pulveris quinquertia; nec multo tandem pluris, fortasse etiam aliquanto minoris, habemus obstrepera illa, et quæ grandius quid sonant, mortalium negotia, quæque in amplioribus mundi theatris celebrantur spectacula; quæ quidem, verbo ut dicam, pleraque omnia hisce nostris exterius tumidiora sunt, introrsus pariter vana; et puerorum in arena lusitantium casulasque suas vertiginosa levitate struentium ac destruentium occupatissimis ineptiis leviora :

Ὡς ὅτε τις ψάμαθον συνάγη παῖς ἄγχι θαλάσσης,
Ὅστ' ἐπεὶ οὖν ποίησεν ἀθύρματα νηπιέησιν,
Ἄψ αὐθις συνέχευσε ποσὶ καὶ χερσὶν ἀθύρων.

Nisi quis supervacuos hominum sudores, trepidosque ac inconditos huc illuc fluctuantium discursus, magno cum viro, et hæc omnia experto, aculeatius dixerit *μυιδίων ἐπτοημένων διαδρομάς, μυρμήκων ταλαιπωρίας καὶ ἀχθοφορίας καὶ σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα*. Qui autem, frementibus hisce omnibus in-

ferius rerum humanarum turbinibus, in contemplationem divinam æternique spem, velut in sublimem veræ sapientiæ arcem, sese receperit,

Otia solus aget, sicut cœlestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu¹.

Et quid mirum perfacile illi esse omnes misellæ hujus vitæ *terribiles visu formas* firmo atque intrepido intueri vultu, qui et ipsius mortis *φρικωδεστάτην* illam, quam vocamus, *εικόνα* prospectu frequenti et quotidianis colloquiis sibi familiarem, eoque non solum informidabilem, sed et formosam placidamque prorsus ac amabilem reddiderit? Quique illo pacto quotidie moritur, idem proculdubio celsiori etiam adhuc ratione moritur priusquam moriatur, animum scilicet etiamnum in corpore degentem, quoad ejus fieri potest, a terrestrium sarcina, adeoque a circumdantibus terrenis omnibus, abstrahendo, et ad cœlestia ac divina totum transferendo. Atque hoc ipso quidem sensu sapientissime olim dicta est philosophia *μελέτη θανάτου*, quod et Orator Romanus admodum, ut mihi videtur, tum facunde tum philosophice explicat. *Quid aliud, inquit, agimus, cum a voluptate, id est a corpore, cum a re familiari, quæ ministra est et famula corporis, cum a Republica, cum a negotio omni se vocamus animum, quid tum agimus, inquam, nisi illum ad seipsum advocamus, et secum esse cogi-*

¹ Lucan. lib. ii.

mus? Secernere autem a corpore animum nec quicquam aliud est quam emori discere. ²*Quare hoc commentemur, si me auditis, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile; et cum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum: quo cum venerimus, tum denique vivemus: nam hæc quidem vita mors est; quam lamentari possem, si liberet²: quam certe merito πολυπαθεστάτην ζῆν dixit Dionysius Areopagita, vel quisquis libri ejus nomine inscripti auctor est.*

Atque hujusmodi certe mortis intuitum studiumque, nec vestris, ingenui Juvenes, jam licet vernantibus animis vel incongruum vel ineptum fore arbitror, imo nec vos ipsos arbitrari libenter confiderem; nec mihi vos omnino succensere, ac si funestum illud nomen hodiernæ lætitiæ importune immiscuerim, et candidiori huic diei veluti atram nubem obduxerim, laureisque vestris visus sim cupressus invisæ racemum inseruisse. Nec enim cordati hominis gaudia sua velle amentia debere, et stolidi rerum suarum oblivione lætari.

² [In libris omnia a *quare* usque ad *liberet* aliter exhibentur, quasi ipsius sint Auctoris, nonnullis etiam mutatis: veram tandem Ciceronis lectionem revocavi e Tuscul. Quæst. I. 75. relictis tantum vocibus, *si me auditis*, pro eo quod ap. Cic. est, *mihi crede.*]

Vere *εὖ χαίρειν* solius sapientis est; vere autem sapere solius Christiani, qui vitam patitur, mortem autem sperat; illius quidem procellas forti animo pertransiens, sed hanc, veluti portum felicissimum, et vere *καλοῦς λιμένας*, votis fervidissimis exoptans; cui humilis mens est simulque sublimis, nec ab alienis scilicet externisque bonis pendens, nec suis intumescens, nullisque rerum vicibus vel depressa vel elata.

Is sapiens est, cui res quæque sapiunt, prout sunt; quem nec cum hominum semper puerorum vulgo inanes terrent larvæ, nec picta crepitacula demulcent; cui magnus est animus, caducis et perituris omnibus immensum major; qui profectum suum vita æstimat, et tantum scire se judicat, quantum non cupit, quantum non timet. Unum est quod cupiat, placidum supremi Regis vultum; quod timeat unum, illi ne displiceat; et hujusmodi certe animum necesse est incolat jugis hilaritas, et lætitia alta, atque de alto veniens. Atque hic est, qui illam *εὐθυμίαν καὶ γαλήνην*, quam jactant philosophi, et theologi prædicant, quod paucorum certe est, vere possidet. Et licet nec philosophum se libenter nec theologum dici patiatur, reipsa tamen *θεόσοφος* est, et *θεία τιμὴ μοίρα καὶ διδαχὴ* in purioris ac pacatioris veritatis lucem evector est, ubi longe supra turbidam illam et nebulosam polemicorum regionem in sudissima vitam transigit serenitate.

Hæc si quis e vobis didicerit, omnium certe artium supremam imbibit, et in pulcherrimam libertatem, etiam *pileum* nostrum antevertens, exivit. Reliqui autem, licet *Magistri* mox dicendi, stolidum tamen manent ac servum pecus, *servitiique jugo pressum tolerabit iniquas interius leges*, et disciplina omni etiam severissima O quantum duriores! Neminem vestrum adeo immani *αἰθαδείᾳ* cæcum, et tum rerum omnium, tum sui ipsius maxime, ignarum credo, ut emenso hoc solenni studio insignem se jam philosophum somniet, ac multa scientiæ opinione tumeat, licet, ut vere fatear, ventosa admodum sit quæ in scholis dominatur philosophia, et inflet magis quam instruat. Ego, quod oro, sane etiam sperabo, vos potius ingenti ac salubri veræ eruditionis siti accensos, quam turgidis vanæ ac *ψευδωνύμου* phlyctænis scatentes, e Lycæo hoc nostro egressuros. Et quod omnium caput est, candidi Juvenes, cœlestis sapientiæ amore ardentissimo perculsi exeatis, oro; de reliquo quicquid fiat, hoc unum vobis in votis sit, unum in studiis, Christiani ut sitis, id est, humiles, et mansueti, puri ac sancti, et auspicatissimi Ducis Agni per omnia sequaces, quem qui sequitur non ambulabit in tenebris, imo per lucem divinæ gratiæ matutinam, ad meridianam æternumque inocciduum gloriæ lucem perductabitur.

OREMUS.

ÆTERNE misericordiarum et luminum Pater,

immortalium, quas condidisti, animarum requies una et immutabile solatium. In quot errorum devia, et obsidentia undique pericula sese propunt animæ nostræ, ubi a te evagantur! In tuo autem, Excelse, latibulo se continent, sub alarum tuarum umbra in tuto sunt. O! quam bene valent, et bene vivunt, qui illic delitescunt ævum transigunt, ubi amoris tui deliciis sese continuo reficiant, et cantu celebrent, ubi gustent et videant quod tu bonus es, Domine, et immensas esse benignitatis tuæ divitias persentiscant; quas nec superare valent mala nostra omnia, nec egestas nostra exhaurire, imo nec indesinens illarum in totum hoc universum, omnesque ejus particulas, effusio vel tantillum imminuere. Et nos qui coram adsumus omnium indignissimi, et omnibus simul munificentiae tuæ indicibus cumulatissimi, annon junctis cordium clamoribus ingeminemus necesse, Celebretur Dominus, quia bonus est, et in æternum misericordia ejus? Quis eloquetur magna DEI, et laudes ejus omnes enarrabit? qui dominatur potentia sua in seculum, oculique ejus gentes speculantur, ne sese efferant rebelles; qui restituit animam nostram in vitam, neque dimoveri permittit pedes nostros. Sed ex altera parte, heu! quanto jure hymnos nostros amarus interpellat luctus, quod sub tam densis et assiduis beneficentiae radiis, adeo erga ipsum frigescent usque corda nostra! O quam remisse illum et languide amamus! quam pene nihil est sacræ illius flammæ

quod sentimus; et cum simus amore illo vacui, adulterinas nectimus in his exterioribus amicitias, et vana sectantes vani simul ac miseri efficimur. Spiritus autem tuus, Domine, quem supplicibus expetimus votis, in corda nostra illapsus, vita et vigore et cœlesti puritate nos totos perfundat.

Ecclesiam tuam per totum terrarum orbem, et in his Insulis, perpetuis vultus tui radiis collustrare digneris: Te medicam admovente manum illico sanabimur; nec est quod aliunde alia speremus remedia, quum quæ toties experti sumus, malis nostris usque graviora. Benedic huic urbi, et Academiae huic inclytæ. Faxis, Pater optime, ut quod hodie et quotannis hinc emittimus numerosum satis agmen, efficaci tua gratia tibi consecretur. Absit, oramus, ut vel ipsi tanquam sordes in populum effluant, vel seculi impuri sordibus se immisceant; quin potius ex hisce literarum fontibus, influxu tuo cœlesti perpetuo ditatis, emanent usque rivuli puri et limpidi, ecclesiae tuæ et populo salutare, in celsissimi nominis tui gloriam, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui tecum et Spiritu Sancto sit laus, honor, et gloria in secula seculorum. *Amen.*

PARÆNESIS OCTAVA.

PERDITUR hæc inter miseris lux; nonnihil tamen de querela deterit, quod, plerisque in foro et turba et negotiis, ut videri volunt, grandioribus occupatis, nos innocentius nugamur. At quid prohibet extremam hanc scenam serio claudere, oculis nempe ad diviniora conversis, quo, lassilicet, diei hujusce pensum ipsumque una diem jucundius terminemus? ut esse Phœbi dulcius jubar solet jamjam cadentis.

Philosophiam, qualis illa est quæ in scholis dominatur, imbibistis, et ad altiora, ut opinor, præpeti jam penna festinatis. Sed O! quam pusilla et angusta sunt omnia, quæ a tergo, a fronte, et undiquaque obversantur! formicarum iste discursus est in tenui laborantium. Et quam degener est animus, suæque originis, ac si lethen bibisset, quam profunde oblitus, ni cunctis hisce votis curisque vilioribus, tanquam laqueis, elapsus, totumque spectabilem hunc orbem supergressus, in Patris sui sinum referatur, ubi æternam pulchritudinem contempletur, et contemplando amore

ardeat, et amando potiatur! In illo autem contemplando, O! quanta animi cautela modestiaque opus est! ne vel consilia ejus abdita vel naturam audacius indagantes, et temere *εἰς τὰ τοῦ φωτὸς ἄδύτα* irrumpentes, occæcemur. Quantum autem de infinito illo *τῷ ὄντως ὄντι* nos scire et ipsi visum est, et nostra interest, nec illud certe quæstiunculis vexandum, et disputaci protervia exagitandum; qui sic enim faxit, faciet næ intelligendo ut nihil intelligat; sed humili fide amplexandum protinus, et affectu pio placidoque deosculandum est: sin aliquid et in istis, quæ ad nos demissa sunt, difficilius et perplexius occurrat, non spinosa disputatione, sed assidua oratione felicius enodabitur. Aptè antistes Hipponensis: *Intelliget, inquit, qui orando pulsat, non qui rixando obstrepit ad ostium veritatis.* De illo autem, quem loquimur, ineffabili, quid capimus mortales, in tenebrosis scilicet et cœnosis hisce ergastiolis degentes, nisi hoc ipsum, quod illum nullatenus capiamus? De illo cogitantes imperfectum omne longe amoveamus licet, et omne congeramus perfectum, ubi tamen illum¹ celsissimis utrumque genus titulis ornaverimus, O! nil dixisse, nil concepisse fateamur. Immobilem agnoscamus moventem omnia, immutabilem omnia mutantem, infinitum, æternum, boni omnis omnisque *esse* scaturiginem, rerum Dominum Regemque unicum.

¹ [Edd. *illam.*]

Si vos autem, cari² Juvenes, ad genuinam, Christianam scilicet, θεοσοφίαν aspiratis, hoc sciat velim, animum ad sese introrsum prius revocandum, quam ad DEUM possit assurgere; secundum illud S. Bernardi, *Ab exterioribus ad interiora redeam, ab interioribus ad superiora ascendam*. At enim plerique hominum extra se degunt, et verissime peregrini sunt domi; quos ubivis facilius invenias quam apud se. Atqui hoc annon est insanire, quod et ἐξίστασθαι dicitur? aliqua tamen cum ratione insanire videntur, sic extra sese evagando, cum intra nihil habeant quod conspectu læto arrideat et oblectet. Squalida omnia, et horrida, et illuvie cooperta, quæ ignorare malunt quam expurgare; et miseriæ oblivionem ignavam felicitatis instaurandæ labori præferunt. Quam præpostera autem omnis scientia et studium omne, se neglecto! Grammaticos ridens Romanus Sapiens, *Ulyssis*, inquit, *mala explorant, ignorant sua*. Longe alia est pii ac prudentis animi sententia, quam et vestram velim. Se præcipue illustrat, sibi invigilat, pectusque suum tanquam hortum, eumque sacrum, ac veluti Regis³ supremi delicias excolit, flores plantasque cœlestes sedulo fovet, noxia quæque et erratica averruncans, quo fidentius et alacrius dicat, *Ingrediatur Dilectus meus in hortum suum, suis fructibus vesci dignetur*.

² [Edd. *D. Juv.*]

³ [Edd. *Regi.*]

Illo autem perbenigne in animum descendente facile animus cum illo ascendere poterit, velut igneis abreptus quadrigis, unde terram et terrena omnia e sublimi respiciat;

Celsior exurgens pluviis, nimbosque cadentes
Sub pedibus cernens, et cæca tonitrua calcans.

OREMUS.

QUICQUID extra te, Pater cœlestis, quærimus solaminis, illusio est et vanitas: hoc tamen toties experti, nondum sic edocti sumus, ut supervacuum illum ac irritum laborem prorsus abdicantes, in te uno, vivo plenoque animarum solatio, requiescamus. Oramus itaque, ut manu tua omnipotenti corda nostra alligare et agglutinare tibi in perpetuum digneris. O quam infelices sunt, qui te derelinquunt, et quorum corda a te recedunt! erunt tanquam myricæ in deserto, et non videbunt cum venerit bonum, sed habitabunt in terra salsuginis et sterilitatis. Benedictus autem vir, qui fiduciam in te posuit: erit tanquam arbor plantata ad rivos aquarum; non timebit cum venerit æstus, nec sollicitus erit in tempore siccitatis. Aufer, Domine, nobis e terrenis et caducis quicquid tibi libuerit; hoc unum demum damna omnia compensabit, inhabitet Christus per fidem corda nostra, et in ejus facie nos reficiant semper ac vivificent favoris tui radii; nec est amplius quod quæramus, sed gratis mentibus benignis

nitatem tuam indesinenter celebrabimus; dicent omnia ossa nostra, Quis similis tibi, quis similis tibi?

Lætetur in te Ecclesia tua, et omnes in hac gente nostra, et ubique terrarum, quicumque reverentur et amant nomen tuum; et per Evangelii vim et efficaciam augeatur indies eorum numerus, atque iis omnibus augeantur etiam gratiæ tuæ dona. Benedicas huic Academiae; sit tanquam hortus manu tua cœlesti irrigatus, ut crescant tenelli tui surculi, uberemque suo tempore fructum edant in celeberrimi tui nominis æternum honorem, per Dominum Jesum. *Amen.*



ORATIO VALEDICTORIA.

NOLO vos hoc meo, postremo licet, ut opinor, inter vos sermone, vel a studiis vestris, vel a studiorum relaxamentis prolixius distingere. Aliquam certe vestrum partem jam primum alloquor: complures tamen solennis dissertationum in hoc coetu mearum¹ omnium scopi testes habeo; in hoc unum scilicet collimasse omnes, ut *ὑγιαίνοντων λόγων τύπος*, Christianæ scilicet doctrinæ, et per illam timoris ac amoris divini characteres, non impressi, sed et insculpti, præcordiis indelebili prorsus firmitudine inhærent; et hoc unum, dubio omni majus axioma, non solum in confesso apud vos, sed et summo in pretio esset, *ὅτι ἐν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἀγαθὸν ἢ εὐσέβεια*. Quo autem huic uni studio liberiores et expeditiores essent animi vestri, eos a spinosis et sterilibus, quæ theologiam totam pervaserunt, quæstiunculis ac rixis indesinenter, quanta potui vehementia, revocavi: quibus tamen plerique non parvi nominis theologi et doctores fervidissime insudantes *σχίζονται, καὶ κόσμον ὅλον τέμνουσιν ἀθέσμως*. Equidem magnis illis et *ἀναμφισβητήτοις* sacro-sanctæ religionis

¹ [Edd. earum.]

nostræ capitibus statuminandis semper incubui, quæ pauca sunt et clara, et partim gentium omnium totiusque humani generis, reliqua autem indiviso Christianorum omnium, consensu ac suffragio comprobata sunt.

Et in priore quidem ordine sunt, quæ de uno, supremo, æternoque Principio, rerumque omnium ab illo uno emanatione ac ortu, nec non sustentatione perpetua ac regimine, deque lege divina humano generi posita, annexisque eidem præmiis ac pœnis, identidem disseruimus.

Altera autem magnorum in religione dogmatum classis Christianæ philosophiæ propria quidem est, sed omnibus certe illius sectatoribus communis, ingentia scilicet illa fidei nostræ et spei omnis ac lætitiæ fundamenta, de FILIO DEI carne nostra vestito, et in peccati, adeoque ipsius mortis, exitium mortuo ac resuscitato, et in supremos cœlos, inibique supra omnes Angelorum choros thronosque, cum eadem, qua se induerat, carne nostra evecto; unde et immensa cum gloria reversurum speramus. Quo quidem die in sanctis suis omnibus illustris, et in credentibus mirabilis futurus est. Quotquot itaque ultimam illam epiphaniam læti atque exultantes excipere gestiunt, sancti sint necesse est, et Capiti suo sanctissimo conformes, sobrii, pii, ac justii, et fugacis hujus seculi, carnisque suæ terrenæ, ac sordidarum terræ volup-

tatum per omnia contemptores; quæ vilia ac servilia hominum mirantur ingenia, illi proterant ac conculcent. Ad hanc enim victoriam si quis eniti atque eluctari potuerit, hunc servum Dominus, hunc discipulum magnus ille Magister agnoscet. Hic DEO in terris consimilis evadet, et post brevem hanc luctam in conspectu DEI æternum triumphabit.

Atque hæc sunt quæ scire nostra interest, quæque observata beatos efficiunt. Huc appelletis animos, ingenui Adolescentes, si sapitis, imo ut sapiatis: aufugiunt hæ, quas captamus, umbræ, et aufugit hæc vitæ, quam degimus, umbra. Quæ supra sunt, et extra sensuum ambitum posita, unice solida sunt ac æterna. *Quid terrena hæc amplectimini*, inquit Bernardus, *quæ nec veræ divitiæ sunt, nec vestræ? Si vestræ sunt*, inquit, *tollite vobiscum*. Et egregie Lactantius: *Quisquis animæ vitam maluerit, corporis vitam contemnat necesse est; nec aliter aspirare ad summum poterit bonum, nisi quæ sunt ima despexerit. Noluit enim sapientissimus DEUS, nos immortalitatem delicate ac molliter assequi, sed ad illud æternæ vitæ inenarrabile præmium summa cum difficultate et magnis laboribus pervenire.*

Memineritis autem, ne fatiscatis, præcessisse magnum illum animarum Redemptorem ac Ducem, et cum hoste jam debellato nobis rem esse.

Illum solummodo impigri sequamur, et de victoria non est ambigendum. Hæc autem vera et homine Christiano digna victoria, barbaras cupiditatum gentes rationis ac religionis frænare imperio. Illa autem turpissima servitus, ubi divinior nostri pars corpusculi vilis affectibus obsequitur. Vincimus autem omnino firmiter credendo et fortiter obluctando, sed et indefesse vigilando et orando. Sit oratio non solum clavis diei et sera noctis; sit totius itineris diurni baculus ac fulcrum, quo in Dei montem alacres ascendamus. Oratio languentis animi solatium, fugatrix dæmonum, magnum gratiæ omnis ac pacis organum. Lectionem quod attinet, supra omnia volumina sit vobis sacer Scripturarum codex familiaris; illinc vere *lucem et pocula sacra* haurietis. Huic autem et alia subjungere fas est piorum hominum conformia scripta, quæ subsidio vobis esse poterunt: inter quæ libellum illum *de Imitatione Christi*; *summa enim religionis est imitari quem colis.*

Imprimat cordibus vestris carissimus Jesus cordis sui immaculati, humilis², mansueti, vivam effigiem, qua et pro suis, die illo supremo, vos cognoscat, et in sedes beatas una cum redemptis obsignatisque omnibus recipiat. *Amen.*

² [Edd. *similis*, nullo sensu: quare reponere non dubitavi *humilis*, collato quod supra dederat, p. 255. "Christiani ut sitis, id est, humiles et mansueti, puri ac sancti, &c."]

OREMUS.

ÆTERNE rerum Conditor et Rex, te decet hymnus in Zione; imo cum hymnis omnibus immensum major sis, silentium tibi in Zione laus est. Te canant potius chori Angelici, nos autem taciti et stupentes ad solii tui scabellum procumbamus, dum illi celebre illud suum ingeminant, Sanctus, Sanctus, Sanctus exercituum Deus, qui et terram gloria replet sua et cœlum. At O si qua nobis inesset facultas sanctissimum illud nomen efferendi! nomen quod pro modulo suo celebrant aspectabilis hujus orbis quæ nos circumdant omnia, cœli et stellæ, venti et flumina, terra et oceanus, et animantum omne genus. Animas certe nobis indidisti et facultates huic muneri supra hæc omnia idoneas, quæ laudes scilicet intellectu lucido et affectu fervido animatas offerre, et illas ipsas visibilium reliquorum omnium cantilenas articulatiùs offerre valeant. Sed animas hæc cœlestes, et divinæ auræ particulas, heu! quam profundo cœno immersimus; neque iis de novo extrahendis et a colluvie sua repurgandis par ulla est, præter tuam solius dextram, Pater celsissime et benignissime. Hac si nos gratia invisere digneris, tum demum et nova tibi cantica in suffitum, et nos ipsos sic renovatos in holocaustum offeremus³; quodque reliquum nobis est

³ [Edd. *efferemus.*]

vitæ, non nobismet vivemus, sed illi in solidum qui pro nobis mortuus est.


Ecclesiam tuam universam per totum terrarum orbem, et in his præcipue Insulis, sustentet manus tua potentissima, et vultus tui radii usque lætificent. Exultet in te Rex noster, et benignitate tua fretus nunquam dimoveatur, et thronum ejus pietas et justitia suffulciant, regna beet pax et pacis Evangelium, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui tecum et Spiritu Sancto sit laus, honor, et gloria, in secula seculorum. *Amen.*

MEDITATIONES

ETHICO-CRITICÆ

IN

PSALMOS IV. XXXII. CXXX.



MEDITATIONES

ETHICO-CRITICÆ.

PSALM. IV.

Vers. 1. *Exaudi.*] **M**ULTÆ piorum calamitates miseriæ speciem habent; sed solide felices præstant multæ in calamitatibus effusæ preces, et multæ ac tempestivæ affulgentes calamitatibus liberationes, et multæ Deo Liberatori resonantes laudum cantilenæ: et in ignem quidem injecta odorem suum uberrime diffundunt hæc aromata.

Vocem illam tituli לְמַנְצָה videntur 70. legisse לְמַנְצָה, reddunt enim εἰς τέλος: quos secuta Vulg. *In finem.* Unde Patres Græci et Latini psalmos sic inscriptos ad Messiam referunt omnes, tanquam finem legis et omnium rerum complementum: pie quidem; sed psalmorum doctrina non raro in hunc sensum per violenta satis glossemata detorta. Nollem tamen omnia istiusmodi interpretamenta morose abdicare, cum multa e Psalmis reliquisque veteris instrumenti libris ad Christum applicent Apostoli, quæ, nisi illis auctoribus, eo spectare forte nemo nostrum unquam conjectasset. Nec verisimile est eos penitus omnes, sed perexiguam tantum partem illarum apud

Prophetas de Messia prædictionum in medium protulisse; quorum tamen scripta omnia illum præcipue designasse asserunt. Nec male convenit, quod S. Augustinus aliique, ex hoc ipso psalmo, Christum respexisse autumant: *Filii hominum, quousque gloriam meam in ignominiam convertetis?* vel *gravi corde*, ut illi legunt; et quod sequitur, *Scitote, quod mirifice sibi separavit Dominus sanctum suum*. Ut sit, titulum hunc aliter alii reddidere. Hieron. *Victori*: recentiores *Præcentori*, vel *Præfecto musicæ*, quod quidem aptissimum videtur. Altera vox בנגינות, *pulsabilia*, ut loquuntur, *instrumenta* significat, sicut הנהלילות, quod psalmo sequenti præfigitur, *pneumatica*; cui concinit et ipsarum vocum etymon, licet nonnulla cum anomalia in posterioris vocis formatione.—A Davide conscriptus est, veluti summula alicujus suæ precationis, quam gravi aliqua obsessus difficultate ad Deum effuderat, sive id fuerit Saule persequente, sive conjurante filio suo Absalomo.

Exaudi.] Ecce viri sancti in malis omnibus asylum: quem ideo accumulatis ejusmodi sententiæ titulis ornat, *Ps.* xviii. 1. *Petra mea, propugnaculum, rupes, clypeus, &c.* Ille filiis suis receptui est, ideo in timore ejus fiducia valida; mirum illud ænigma, *in timore fiducia*, sed reipsa verissimum, inquit Salom. *Prov.* xiv. 26. et rursus xviii. 10. *Turris munita est nomen Jehovæ, quo*

accurrens justus securus est. Et qui hoc refugium ignorant, miseri et pavidī huc illuc periclitantes discurrunt *μυιδίων¹ ἐπτοημένων διαδρομαῖς*, ut egregie Antoninus. Militia est vita hominis super terram, et melius est in mediis hostibus et periculis magnum virum nosse præsidium, quam multa diverticula. Qui precari novit, premi potest, non potest opprimi.

Exaudi, Domine.] Nec semel hoc dixisse sat duxit, sed ingeminat. Qui vere precatur, serio rem agit, nec serio solum sed vehementer, eoque ut exaudiatur urget, quia ipsum urgent necessitates suæ, ac difficultates, et ardentes votorum suorum atque affectuum motus: atque hujusmodi preces solæ sunt quæ in sublime feruntur, et cœlo vim gratissimam inferunt; nec quicquam lubentius et pronius largitur divina benignitas, quam quod precibus fervidissimis exprimi, et (ut ita loquar) extorqueri videtur. Nec dubitavit Tertullianus dicere, *acriter precantes veluti stipato agmine Deum obsidere.* Et S. Basilius, *δυσωπεῖν Θεόν.* Hæc sunt perennia templi divini sacrificia, *καὶ θυσίαι λογικαί*, preces et vota laudibus intermista, ex integro puroque corde promanantia. Qui autem frigide rogat, docet negare: nec mirum nos plerumque non urgere, ut

[¹ Sive *μυιδίων* sive *μυιδίων* hic et supra pag. 251. legas, omnino intelligas velim de parvis *muscis*, non autem, ut alii, *muribus*.]

preces exaudiat Deus, quas ipsi dum offerimus vix audimus, nec cœlos penetrant, imo nec omnino ascendunt; nec mirum quod non ascendant, cum ne exeant quidem, sed veluti miseri abortus in partu moriantur; non enim ex imo pectore emissæ prodeunt, sed in summis labris nascuntur, et ibidem expirant: contra quam Ulyssem suum sapienti facundia præditum describit Homerus, vocem eum mittere dicens non ex ore sed ex pectore. Ὅπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἴει.

Deus justitiæ meæ.] Qui ipse justus es, et justitiæ meæ patronus. *Justitiæ meæ*, id est, justæ tum causæ, tum vitæ: utrumque enim ad precandi fiduciam necessarium, non ut hac freti justitiæ auxilium divinum gratiamque quasi de jure debitam poscamus; sic utique gratia non esset, ut strenue argumentatur Apostolus: certe a meritis suis jactandis multum abest Propheta noster; sic enim justitiam suam memorat, ut simul divinam imploret misericordiam: *Propitius mihi sis et clemens*. Et hæc quidem vere precantis genuina est temperies, puritas et humilitas; nam et *inquinatas manus aversatur Deus, et cor odit inflatum, superbos e longinquo aspicit*; quo etiam tendit Redemptoris nostri Parabola, *Luc. xviii. Flagitia autem et sordes abominatur*. *Ps. v. 4. et lxvi. 18. Amat autem Deus justus justitiam, et vultus ejus puros blande intuetur*. *Ps. xi. 7*. Sunt verba impii precantis velut flabella aut fol-

les iræ divinæ, quibus in flammam concitatur: quomodo enim Deum placare poterit, qui Deo non placet; aut Deo placere, cui non placet Deus; qui puras Dei leges et sanctitatem illi adeo caram nil pensi habet?

Liberasti me.] Tum benignitatis tuæ opulentiam, tum dextræ potentiam multoties expertus, hinc fiduciam arripio; immutabilis cum sis, et in servis tuis periclitantibus sublevandis indefessus. Animant nos precantes auxilii divini etiam in aliis liberandis memorata exempla, *Ps. xxii. 4.* Sed et recentiora sunt et nobis propinquiora experimenta nostra; quique ea memori reponit mente, non solum hoc pacto erga Deum gratus est, sed et sibi ipsi sapit, omnibus quippe his favoris divini beneficiis bis fruitur; nec bis tantum, sed quotiescunque denuo opus est, non solum novis in periculis fidem suam, liberationes antegressas intuendo, sustentans, sed et easdem in Dei conspectu prece humili explicando et repræsentando, novas tum urgentius implorat, tum impetrat efficacius; ac veluti vi quadam magnetica beneficia beneficiis attrahit, et favorem divinum per seipsum alliciendo evocat.

Liberasti me.] Hoc præcipue dicant *Redempti Domini*, de præcipua sua magnaque liberatione, ex inferni et mortis æternæ faucibus erepti; de hac tanta salute perpetuas laudes canant, quas sic

inscribant, *Deo Liberatori*. Et per hanc, reliquis omnibus tanto clariorem, de reliquis omnibus, ubicunque opus est, dextræ divinæ opem fidenter urgeant et sperent. Unum est, idque adeo ex se conspicuum, ut monitu vix egeat, eum qui etiam florente rerum suarum aura precibus non assuescit, et imperite admodum et diffidenter eas, urgentibus adversis, adhibiturum; quod monet etiam Xenophon in *Cyro*: τῶν θεῶν πρακτικώτερος ἂν εἴη, ὥσπερ καὶ παρ' ἀνθρώπων, ὅστις μὴ ὀπότε ἐν ἀπόροις εἴη, τότε κολακεύοι, ἀλλ' ὅτε ἄριστα πράττοι, τότε μάλιστα τῶν θεῶν μέμνηται.

Ver. 2. *Filii virorum, &c.*] Admiranda est precum in sublime volantium, et responsa de cœlo referentium, tum vis tum velocitas: ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, *dictum factum*. Si non quoad ipsum rei complementum, cujus magis opportuna forte expectanda est hora, saltem quoad spem claram et firmam, magnamque precantis animo cœlitus inditam fiduciam. Oratio est quæ,

—Vim hominum fugiens atque impia regna,
Præpetibus pennis audet se credere cœlo.

Sive præpetes pennas boni augurii, id est, opportune prævolantes sedesque idoneas capientes interpreteris, sive ut inferis avibus contrarias altius sublimiusque volantes, seu illas denique quas Homerus τανυσιπτέρας, *extentis et patulis alis volantes*, appellavit, intelligas, quoniam istas potissimum Augures spectarent, quæ ingentibus alis

patulæ atque porrectæ prævolarent, de quibus disputent Grammatici et Philologi, minutiis hisce assidentes, et de verbis solis studiosi; certe inter totam remigio alarum aërem tranantium gentem, et altissime volitant preces et velocissime, simulque etiam felicissime et auspicatissime, omnibusque tum periculis tum solatiis terrenis celsiorem animum efficiunt. Ecce virum sanctum jam modo Deum ex angustiis invocantem, et ut exaudiatur pressius urgentem; nunc autem, ut votorum plenissime compotem, homines sibi infestos, quantumlibet elatos et in aula regia præpotentes, animosius increpantem.

[בני איש] Qua periphrasi Hebræo idiomate nobiles ac magnates indigitantur, sicut plebei per בני אדם. Idcirco legimus hic non *fili hominum*, sed *virorum*. Quicumque demum sitis, vel ortu clari, vel fastu tumidi, vel utraque forte ratione formidabiles, falsa est illa vestra et ventosa plane magnitudo, quæ ubi maxime intumuerit, tunc prope est ut dirumpatur: solidus est et stabilis honoris ille gradus, quem servo suo destinavit Deus, utcunque vobis ludibrio sit: fastigia autem illa gloriæ vestræ mendacis et evanidæ, unde me velut e sublimi despicitis, si verum vultis, nil vobis aliud parant quam lapsum tanto graviorem; quod quidem videt ille, non optat tamen, cujus vos exitio inhiatis; imo, mallet tristia illa a vobis averti et saniore vestra mente præverti, eoque

se vobis monitorem exhibet, ne illum frustra irridentes inopina clade ipsi corruatis, et Sardonius tandem ille vester risus evadat: magnis viribus et consiliis argutis polleatis licet, hæc certe pulchra tantum sunt ruinæ vestræ blandimenta, et splendida ingruentis miseræ præludia. Atque has umbras jam plus satis sectati estis: tandem credite vera monenti.

Usque quo gloriam meam, &c.] Hæc quoad verba paulo aliter legisse videntur 70. reddunt enim ἕως πότε βαρυκάριοι, ἵνα τί, &c. Et sic Lat. *Usquequo gravi corde, ut quid, &c.* Loco כבודי לב למה legerunt forte, כבודי לב למה, sed sensus eodem redit. Et licet in præsentis Psaltis negotio paucos tantum spectaverit hæc sententia, adeo amplum tamen sonant et ipsa verba, et plus satis extensam obtinent veritatem, ut sine omni vi aut injuria tantilla, pro aptissimo humani generis νοουθετικῶ, *monitorio*, accipi possint. *Filii hominum, usque quo, &c.* Ecquid enim sunt pleraque omnia, quæ tanta animi contentione mortales sectamur? φλεδόνες ἅπαντα καὶ καπνοῦ σκιαί. *Nugæ omnia et fumi umbræ, sive nihil.* Hoc infra, sed prius: *Usque quo gloriam in ignominiam.* Quæ sola hominem vere ornant, unicamque ejus gloriam conficiunt, sanctitas, pietas, fides, ea fere sola sunt quæ ignominia et ludibrio habentur: etiam inter Christianos, saltem sic dictos, signatissimo est probro reipsa esse Christianum. Jam-

pridem vera rerum nomina amisimus: candida morum simplicitas sub rusticitatis nomine contemnitur; religio delira habetur superstitio; innocentia et mansuetudo stoliditas dicuntur et hebetudo; superbia magnanimitatis, vafrities sapientiæ nomen obtinuit: sic veram gloriam in dedecus convertimus, et dedecore nostro gloriamur. Et quia *pauci dignoscere possunt vera bona*, falsis fictisque captandis brevis hujus vitæ diem totum insumunt. Qui opes accumulât, sibi forte, nec non et aliis, sapere videtur; sed O! quantum abest, et quam turpi mendacio sibimet imponit! si in gulam et reliqua luxuriæ ministeria impendit, in turpissimum gurgitem tanto sudore conjesta projicit;

*ἄν δὲ φυλάττη
κληρονόμοις, ἀπὸ νῦν γίνεται ἀλλότρια.*

Famam et inanem gloriam venatur? et aura vesctur, et ob rem nihili omnium servus est. Voluptas autem quam putidum sit mendacium, quis adeo vecors est ut seipso non sentiat? quæstunculis agit furentes,

Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Ferit icta corda morsu.

Altum quiddam est pietas, excelsum, regale, invictum, infatigabile; voluptas humile, servile, imbecillum, caducum: illa nec satietatem fastidiosam comitem habet, nec amaram pœnitentiam;

hæc utramque. Audite, Juvenes, divinam cœlestis sapientiæ vocem, vos ab infinitis errorum deviis et miseriæ præcipitiis fervido affectu et clamore elato revocantem. *Usquequo diligetis, inquit, inania, et mendacia prosequimini?* qui me quærit, non multum cursitando fatigabitur, inveniet enim portæ suæ assidentem; et qui me invenit, nil ultra est quod quæritet, nisi quis sit, quem vita beata et æterna satiare non valeat. O! utinam fluxa et caduca prosequentium bona improbus labor et sedulitas indefessa stimulum quendam animis vestris adderet ad parem saltem in celsissimo et felicissimo hoc studio diligentiam! *εἰ γὰρ καὶ αἰσχρόν, ut S. Chrysostomi verbis utar, τσαύτην ἀπαιτήσαι παρ' ὑμῶν μόνην, πλὴν ἀλλ' ἀγαπητόν, τσαύτην γούν δῶτε.* Sed ad reliqua.

[*Quousque mendacia et inania, &c.*] Ecquis est qui neget hanc ipsam vocem verissimum totius fere humanæ vitæ esse characterem? quem qui in omni cœtu elata subinde proferret voce, pro insano forte haberetur, at certe communem hominum insaniam vere iis exprobraret; nec vulgo solum in compitis cursitanti, sed et disputantibus in scholis philosophis, causidicis in foro strepentibus, et patriciis ipsis, ac senatoribus, regnorumque comitiis in curia considentibus: felices autem, quos e quocunque ordine turbæ exemerit divina manus, animosque a variis et mendacibus

et fugacibus, ad vera et permansura bona converterit, et velut sibi ipsi caros mirifice separaverit.

Ver. 3. *Scitote sibi mirifice separasse, &c.*] Magnum hoc habuit Propheta et fidei suæ et regni sui fulcrum, ἀκίνητον καὶ ἀσάλευτον, *immobile et quod concuti nequit*, supremi Regis decretum; idemque statuitur Filii Davidis, sed ipso Davide immensum majoris, in throno suo et regno perenni firmamentum, *Ps. ii. Enunciabo decretum*: vel utrobique potius, tum hic, tum illic, de utroque dictum putemus, proxime quidem de Davide, ut typo, præcipue tamen et consummate de ipsius Filio, simul et Domino, Messia, ejusque regno, ut fine et complemento fine fine duraturo. Ille ὁσίος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν, *Sanctus, sine labe, separatus a peccatoribus*². Propositis quippe divinis obsistere qui nituntur, perditissimam insaniam produnt; et quantiscunque viribus ac consiliis freti rem agant, veluti fluctus ad rupem allisi, franguntur, non frangunt. Et huic ipsi innititur basi tota totius ecclesiæ et sanctorum omnium incolumitas; eos quippe omnes *selegit Deus*, et mirifice sane segregavit, veluti peculium suum, et sanctissimum summi Archiepiscopi Christi patrocinium, quod frustra omnino et omnes terrarum orbis vires, et ipsæ inferorum portæ ei eripere attentabunt.

² Heb. vii. 26.

Et huic quidem fiducia in quiescunt fideles animæ, nunquam sibi ipsis, suisve vel viribus vel virtutibus, confisæ; sed illud subinde ingeminantes, *Tu rupes mea, Domine, Tu propugnaculum, et munimentum omne: Et, Beatus, Domine, qui in te sperat, cui omnino prævium et congruum est de semet in seipso protinus desperare: cum infirmus sum, inquit magnus Apostolus, tunc sum firmissimus. Et apposite dictum, Fides quæ in securitate periclitatur, in periculis segura est. Adjicit Psaltes:*

Exaudiet Deus cum ipsum clamavero.] Ex decreto et favore divino non sibi pollicetur sortem ab omni hostium conatu et incursu immunem, sed Deum in mediis malis præsentem ac propitium, nec quidem animo torpenti præsentem, sed precibus assiduis sollicitanti. Hoc itaque sancto homini omni, quem selegit Deus, statutum est, Deum indesinenter invocare, et si quid occurrit solito difficilius, eo invocare ardentius. Hinc patet, quantum a precibus tota pendeat incolumitas nostra; sed preces nostras et ecclesiæ omnes magni nostri Regis et Sacerdotis preces suffuleiunt. Aptissime S. Augustinus, ad historiam in Evangelio respiciens, *Quia, inquit, insurgunt fluctus, potest turbari navicula; sed quia Christus orat, non potest mergi.*

Ver. 4. *Contremiscite, et ne peccetis, &c.]* O amicissima etiam inimicis oblata consilia! Hoc

est odia et injurias beneficiorum optimis vincere, quod victoriæ genus longe nobilissimum. Sublimis et cœlestis animus, veluti pars mundi superior, non solum ipse in tranquillo semper est, nullo scilicet injuriæ halitu aut impressione turbida eo pertingente; sed et influxus benignos indesinenter et indiscriminatim in inferiora demittit. *Contremiscite*, Heb. *Commovemini*, et Aqu. κλονεῖσθε. Quod cum æque ex ira, ac ex metu, aliove affectu quolibet provenire possit; 70. reddiderunt, ὀργιζέσθε καὶ μὴ ἀμαρτάνετε, &c. Cujus etiam interpretationis sententia, ut ad scopum suum apposita, usus est Apostolus ad *Ephes.* iv. 26. Nihilominus tamen Psalmographum hic loci timoris potius quam iræ motum exigere, congruentius videtur; et in Targumo explicatur, *Timete ab illo*, i. e. *a Deo*, et ne peccetis. Et R. D. Kimchius, *Timete Deum qui me Regem selegit*. Et Aben-Ezra, *Timete Deum, et gloriam meam ne despiciate, quia Rex ille derisionem requiret de manu derisorum*.

Interiores automati hujus, quod hominem appellamus, rotæ sunt affectus, quorum motum vitæ reliqua sequuntur, et ex illorum anomalia prodeunt omnes humani curriculi errores: tanti est quid cupiat quisque, quid speret, quid metuat, rite statuisset. Et ex quo plurimum de ingenua indole amisit homo, et tanquam pullus onagri natus est, magnus cœpit esse hujusce usus timoris. Verum est, illos qui renascuntur denuo,

Deique filii et dicuntur et sunt, suavi ac nobili hujus vi potissimum agi: dilecti Apostoli dictum est, *dilectionem, seu caritatem perfectam timorem ejicere*: sed præterquam quod hominum plerisque vel nulla inest, vel imperfecta admodum et tenuis, divina dilectio; certe cujuscunque cor cœlesti illa amoris flamma penitus accensum est, de illo tamen sic intelligendum est quod dicitur, Amorem scilicet illum prægrandem et fervidum desperationis omnem et diffidentiae timorem ejicere, piæ autem trepidationis et reverentiæ nullatenus. Plerique nostrum sub servilis timoris male arrepto præjudicio, timoris etiam sancti et ingenui omnes habenas excutientes, protervi et *αὐθάδεις* evadimus: sanctissimi autem viri timorem etiam tremulum in conspectu Dei, et horrorem animi ingentem non diffitentur. Ps. cxix. 120. *Horret pavore tui caro mea, adeo a judiciis tuis timeo.* Job. xxxi. 23. *Nam pavori erat mihi exitium a Deo forti, cujus excellentiæ non prævaluissem.* Purissimus enim est ille timor et in *sempiternum permanens*³, et cum perfectissimo amore optime conveniens: nec solum animis in carne degentibus inhæret usque, sed nec a puris quidem et beatis Angelorum choris exulat, imo illic potissimum viget ac regnat æternæ et ter-tremendæ Majestatis reverentia profundissima, cujus quanto clarior est cognitio, et visio perspicua-

³ Psal. xix. 9.

cior, tanto altior est continuo veneratio et sanctus timor. Miseri autem homines et peccatō et novis peccatorum illecebris ac periculis undique obnoxii, quam æquum est pavidi incedant, et coram infinita sanctitate indesinenter contremiscant, *ad cuius vocem concutitur terra, et columnæ cæli ab increpatione ejus*⁴. Et vere dictum, Ὁ φόβος πρῶτον τῆς σοφίας σπάργανον. *Timor est sapientiæ velut primum quoddam incunabulum*⁵. Et in sacris literis, *Timor Domini initium sapientiæ*. Vocabulum autem תַּשִׁירָה tum initium tum verticem denotat; et de sacro illo timore utrumque verissimum. Egregie Nazianzenus: Ἀπαίδευτον ὀνομάσουσι; μίαν σοφίαν οἶδα, τὸ Θεὸν φοβεῖσθαι· ἀρχὴ γὰρ σοφίας καὶ τέλος λόγου. τὸ γὰρ πᾶν ἄκουε, ἔφη Σολομών, τὸν Θεὸν φοβοῦ. *Indoctum nominabunt? Unam hanc sapientiam scio, quæ in timore Dei sita est; nam et principium sapientiæ est, et finis sermonis. Omnia audi, inquit Solomon, Deum time*⁶. Idem alibi, ἀνθρώπων σωτήριος ὁ φόβος, σπάνιος δέ. *Hominibus salutaris Dei timor, sed rarus. O! quam vere σπανιώτατος, rarissimus*⁷. Ἐτὶ rursus, ἀγαθὸν γε μὴν μέγιστον εὐλαβεῖσθαι Θεόν. οὐπὲρ ἀσεβῆς ἐκπεσὼν οὐ πολὺν χρόνον τῇ ἑαυτοῦ μωρίᾳ καταχρήσεται. *Illud vero præstantissimum bonum est, Dei metu affici; a quo cum impius exciderit, haud diu stultitia sua abutetur*⁸. Op-

⁴ Job. xxvi.⁵ Naz. Or. 21.⁶ Or. 28.⁷ Or. 53.⁸ Ibid.

time itaque hic subnectitur, *Ne peccetis*. Aqua sanctuarii est hic timor, extinguens omnem concupiscentiæ flammam. *Hæc*, inquit S. Bernardus, *sagitta est configens omnia carnis desideria*. Hinc Abrahami metus omnis ac timor inter extraneos, *Dei*, inquit, *timor hic non habitat*.

Ad timorem autem hunc ingenerandum necessarius est *Rectus de Deo sensus*: nil inquinati illi placere posse, qui ipsa sanctitas est; nil abditum illum latere posse, qui ipsa lux est; nec impiorum quisquam illius

—— Justas longasque evadere demens
Sperabit se posse manus:

immensam scilicet potentiam et justitiam ἀπροσωπόληπτον, *personarum rationem non habentem*, quid impune præterire poterit? *Tu, Domine, tu solus formidabilis: Ecquis contra te consistet ex quo irasceris*⁹?

Explore vosmetipsos.] Heb. *Loquimini cum corde vestro*. O! quam pauci hoc faciunt! Extra se degunt homines, et vere peregrini sunt domi; ingens ille morbus est, et magnum humanæ amentitiæ indicium, τὸ ἠδέως λαλεῖν καὶ ἀκούειν τὰ ἀλλότρια. *De alienis suaviter loqui, et ea lubenter audire*.

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo!

⁹ Psal. lxxvi. 7.

Est tamen facultas hæc, ut vocant, reflexiva hominis propria, et ad exteriora totum ferri belluinum; et pectoris nunquam introspecti et expurgati, O! quantæ sordes, et quæ fœda colluvies sit necesse est! Inter omnia quæ vos occupant studia, Juvenes, ni vobiscum versari et loqui discatis, quicquid scitis vel scire opinamini, nauci non emerim.

In cubilibus vestris] Semoto hominum strepitu et negotiis diurnis: βαθύτεραι γὰρ νύκτος φρένες profundiores enim noctis cogitationes. David, Ps. xix. 2. diei loquelam, nocti silenti sapientiam tribuit. Egregium est et vere aureum monitum illud Pythagoricum,

Μὴ δ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
 Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
 Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτέλεσθη;
 Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρωτοῦ ἐπέξιθι καὶ μετέπειτα
 Δεινὰ μὲν ἐκπρήξας ἐπιπλήσσειο, χρηστὰ δὲ τέρπου.

Mollia nec prius admittant tibi lumina somnum,
 Exactæ quam ter reputaris cuncta diei.
 Quæ prætergressus? quæ gessi? quæ male omisi?
 Singula percurrens a primo facta, quibus tu
 Vel pravus doleas; capias vel gaudia justis.

Et silete] Quod non jam ad linguam, sed ad animum præcipue refertur: quid enim prodest quod circa se tranquilla sint omnia, si intus affectus obstrepant? sedata et composita mente opus est,

tum ad se cognoscendum, prout hic monemur, tum ad cognoscendum Deum: *Ps. xlv. σχολάσατε καὶ γνῶτε ὅτι ἐγὼ εἰμι Θεός. Desistite, et agnoscite me Deum esse.* Vacuum sibi animum et meretur et postulat sapientia; non se detrudet in angustias, nec pectus incolet vel inquinatum vel inquietum: non erat in turbine Deus, nec in igne, sed *in aura leni et tenui voce.* Spiritus sanctus pacatus est et pacificus: impii autem turbidi, procellosi, et veluti mare propulsum, cujus agitati fluctus cœnum perpetuo lutumque evomunt. Et inquietudinis certe comes individua est impuritas. *Quæ autem superne est sapientia, primum quidem pura est, deinde tranquilla, et pacifica, ἀγνή καὶ εἰρηνική.* Et in beata, quo aspiramus, patria perfectissima est ac æterna puritatis et pacis cohabitatio.

Ver. 5. *Sacrificate sacrificia, &c.*] Terrena hominis mens, terrena, inquam, *οἰοὶ νῦν βροτοὶ εἰσιν, ut nunc mortales sunt,* carnis scilicet et sensuum involucris præpedita, ad divina et cœlestia difficillime assurgit; cumque aliquo æterni numinis cultusque ei debiti sensu stimuletur, ad leviora quæque officia et ritus externos utcunque defungendos plerumque delabitur. Deus autem spiritus est, et spiritu coli se postulat; et licet sacrificia solennia visuique obnoxia ex ipsius invisibilis beneplacito instituta, pio omni viro humili ac morigerâ religione observanda sint, præcipua tamen

in puriori ac sublimiori ipsius animi cultu obsequioque deferendo industria collocanda est. Obiciebant olim Christianis philosophi, illos non sacrificare. Ad quod sicut Justinus et alii, Athenagoras sic: *Universitatis hujus Opifex et Parens non eget sanguine et suffitu: huic illud est maximum sacrificium, si cognoscamus quisnam extenderit et conglobaverit cœlos, et terram centri instar stabilierit; qui aquam coegerit in maris sinus, et lucem a tenebris discreverit, et animantia atque ipsos homines finxerit, nutuque suo omnia gubernet; illumque ipsum esse agnoscentes, puras sanctasque ad illum levemus manus.* Adeoque certe invaluit per omnia secula hujusce sententiæ veritas, ut etiam in ecclesia Judaica, vigente adhuc sacrificiorum cultusque exterius operosi lege, sanctitatem et justitiam et cordis morumque integritatem primas in religione obtinere omnes agnoverint, licet quod verbo tenus fassi sunt omnes, perpauci certe reipsa præstiterint. Hinc tanta hujus moniti subinde ingerendi necessitas, *Ps. l. Isa. i. et xxix. &c.* et quod illic atque alibi uberius docetur, hic brevi commate innuitur. Ex quo templum dirutum, et sacerdotes cum sacrificiis cessarunt, ipsi Judæi eorum loco instituerunt sacrificia labiorum cum commemoratione tantum priscorum sacrificiorum, persuasi hanc recordationem tantundem valere, ac ipsa sacrificia; et ordinarunt triplicatas lectiones quotidianas, quas qui recitat, filius dicitur vitæ æternæ.

Sacrificia justitiæ offerte.] Nec vero absimile est quod conjectarunt nonnulli, Davidem vanam aulicorum in sacrificiis et cultu solenni, a quo forte nunc ipse eorum invidia exulabat, fiduciam et jactantiam subnotare. Facilius certe est arietem aut bovem, quam iram aut ambitionem mactare; imo multas brutorum animantium hecatombas, quam vel unum aliquem affectum aut concupiscentiam brutalem; et sua omnia Deo immolare, quam seipsum, quod unicum tamen est instar omnium sacrificium, et vere λογική λατρεία. Sacrificia Mosaica, a Deo licet instituta, pretium tamen omne suum a magna illa vespertina victima, sub finem seculorum mactanda, mutuata sunt. Immaculatus ille Agnus magnum erat justitiæ sacrificium, expians et tollens mundi peccata. Idemque erat magnum simul sacrificium et altare. Et ipse unicus ac singularis secundum Melchisedeci ordinem Sacerdos: instituit tamen perpetuam regalis sacerdotii διαδοχήν. Quorum universa series quotidiana offert Deo, spirituum Patri, pura et spiritualia justitiæ sacrificia, ipsique adeo gratissima, quod per manus transeant summi illius Sacerdotis in sanctissimo et supremo adyto ἀδιαλείπτως sacra facientis. Egregie S. Bernardus: *Nec mihi tua sufficiunt sine te, nec tibi placent mea sine me.* Et S. Augustinus: *Totum me consumat ignis tuus; nihil mei remaneat mihi.* Atque unum hoc holocaustum omnia justitiæ sacrificia complectitur, intellectum, amorem, affectus omnes

ac facultates animi, sensus omnes et corporis organa, dicta, facta, cogitata omnia, preces et vota, hymnos ac laudes; pietatem, modestiam, caritatem, integrum omnium virtutum chorum, et sedulam congruamque præceptorum omnium observantiam. Atque hæc sunt sacrificia ac thymiamata puro numine digna, qui *juvencorum carne non vescitur, nec hircorum bibit sanguinem; et certe si esuriret, victimis tamen nostris non egeret, cujus sunt omnes sylvarum feræ, et pecora in mille montibus errantia. Sacrifica Deo laudem, et redde Excelso vota tua: qui enim landes offert, eum honorat; et qui rite componit vitam suam, salutem Domini intuebitur.* Hæc autem piæ mentis sacrificia, et homini colenti aptissima esse, et Deo quem colit gratissima, viderunt et dixerunt ethnicorum doctores ac vates. Δεινὸν ἂν εἶη, inquit Socrates, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ θυσίας ἀποβλέπουσιν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν. Notum illud Flacci, Od. 23. lib. 3.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit aversos Penates,
Farre pio, et saliente mica.

Illud item Persii:

Compositum jus fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto,
Hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo.

Ecclus. xxxv. 1, 2, 3. *Qui observat legem, abunde oblationem facit; sacrificat hostiam salu-*

tarem, qui attendit mandatis; et qui refert gratiam, ita facit quasi offerat simillam; et qui exercet misericordiam, quasi offerat sacrificium laudis.

Et in Deum confidite.] Et magnum est piorum solatium, et magnum pietatis ac justitiæ sacrificium, hæc ipsa Deo innixa animi fiducia. Carius erat Deo sacrificium Abrahami fides non solum ariete, quem immolavit, sed et ipsius filii carissimi, quem immolaturus erat, sacrificio: *firmissime credidit*, inquit S. Paulus, Rom. iv. *et Deo gloriam tribuit.* Deinde soli justitiæ sacrificia Deo offerentes, in ipsum fiducia vera et solida recumbunt; non quod hæc ipsa, licet omnium lectissima atque optima sacrificia, meriti rationem subeant, sed quod signa sint, imo sigilla minime fallacia, animi cum Deo fœderati, cui cum illo intercedit mutua obsignatio, illo favoris sui carissima in nos pignora conferente, et nobis consimiliter, prout æquissimum est, nostra omnia et nosmet ipsos humili et alacri animo ipsi retribuentibus. Et hæc certe unio atque amicitia indivulsa ac perpetua¹⁰ vera est piæ mentis *εὐθυμία*, quæ sola illam in solidum tranquillam et felicem præstat; quemadmodum et continuo hic in psalmo sequitur.

Multi dicunt, quis ostendet nobis bonum, &c.]

¹⁰ [Ed. perpetuo.]

Jam ad se suaque revertitur Psaltes, et de vero unicoque bono satis jam admonitis suis etiam hostibus, tum quod hortatus est suo comprobato exemplo; quod si velint sequantur, hæc enim efficacissima docendi ratio; sin et nolint, utcunque tamen suo ipsius consilio fruatur ipse, et sua felicitate se involvens, reliqua omnia inania et misera vulgi insanientis vota e sublimi despiciet. Huc atque illuc ebrii oberrant titubantque homines; sæpissime proni cadunt, et in illa ipsa, quæ amplecti gestiunt, impingunt atque illiduntur, et per totam vitam instabili gressu fugaces captant boni imagines; et toties illisi occlamant tamen usque, *Quis ostendet nobis aliquid boni?* et ubi novam aliquam ejus speciem umbramve conspexerint, occurrunt illico; imo ad eandem forte, quam sæpius sectantes decepti sunt et deseruerunt, leves et varii, denuo revolvuntur. *Quando Israel vidit nationes mundi in prosperis, dixit, Quis ostendet nobis similem prosperitatem? sed dicit David, ne invidias, nobis altior est prosperitas in lumine vultus divini*¹¹. Ἀγαθὸν ἔστιν, οὗ τὰ πάντα ἐφίεται. *Bonum est, quod omnia appetunt, inquit Philosophus vester. Sunt certe animi affectus ac vota, ejus veluti pulsus ac respiratio naturalis: motus autem illius principium sunt innata vel impressa animisque penitus inhærentia dogmata; variæque de rebus variis sententiæ in hoc quidem*

¹¹ R. Solom.

consentiunt omnes, quod bonum velint. Qui autem bonum congruum, et plenum, et stabile seligentes, omissis reliquis, id unum prosequuntur, soli sapiunt.

Atque hoc est, quod se facere testatur Psaltes, aliosque omnes, quibus id demum collibuerit, in voti sui communionem partesque recepturus ultro invitat; hoc enim, quod elegit, bonum ejusmodi est, ut non multis tantum, sed omnibus eo recipientibus solum sufficiat, nec impertiendo vel minimum imminuatur, πανταρκὲς καλόν, *omnibus sufficiens bonum*: quod inter Jovis sui titulos ethnici habuere. Hic autem, de quo loquimur, vere Deus est, nec aliud humanæ menti adæquatum bonum. Et quod de illius sufficientia infinita dicimus, aptissime hac, qua utitur Psaltes, adumbratione significatur: adumbratione, inquam, lucis; nec velut incongrue dictum corrigere est animus, lux enim umbra Dei. Illaque, quam diximus, boni illius summi plenitudo aliquatenus etiam in luce adumbratur, quæ omnes, quotquot illam¹² intuentur, radiis suis totos tota collustrat, nec in particulas frustillatim et parce singulis tribuendas dispescitur. Multi multa quæritant, bonum qualecunque incertis et ignaris votis ambiunt; nobis statutum est quod unice petamus, nam et in hoc uno sunt omnia, *Nobis oriatur*

¹² [Ed. *illum.*]

lux tui vultus, Domine. O votum opulentum, ingens, incomparabile! sine hac luce barathra sunt superba regum palatia, et omnes terrarum omnium divitiæ angustissima egestas. Hæc τοῦ κόσμου νοητοῦ lux propria, *animo lætitiæ indens*, prout sequitur.

Ver. 7. *Indidisti lætitiæ animo meo, &c.*] Quo non pertingunt rerum terrenarum gaudia, crassa nimis et in limine hærentia. Frumentum et mustum, corpusculi hujus terrestris et caduci solatia, et vitæ corporeæ et terrenæ adminicula, cum animo nihil habent συγγενές et affine. Dicitur quidem *panis cor humanum roborare, et vinum lætificare*¹³. Sed cor illud intelligitur, quod animalis vitæ et spirituum naturalium scaturigo est; cordi autem, id est, animo humanæ naturæ ἡγεμονικῶ, *principatum obtinenti*, veram lucem et lætitiæ quod indat, infra æternum luminum et spirituum Patrem nihil est: ille amoris sui radiis languentem animam focillat, et Spiritus sui solatiis, velut nectare cœlesti, saturat, et tutelæ suæ fiducia curas omnes metusque consopiens, altam pacem somnumque placidum conciliat; sine qua, mente paulo acrius agitata, nulla symphoniarum lenocinia, nulli *avium citharæve cantus somnum reducent*. O beatum hominem! qui in Deum se totum recepit, illumque non solum ante

¹³ Psal. civ.

omnia, sed et loco omnium, unice elegit, ab ipso scilicet amore prævio gratuitaque benignitate electus; qui pro hæreditate sua opulentiaque amplissimum Conditorem suum amplexus est, subinde secum repetens, *Deus meus et omnia*. Hunc certe, habentem quod satis est,

—neque

Tumultuosum sollicitat mare,

Nec sævus Arcturi cadentis

Impetus, aut orientis hædi¹⁴.

Ille animum sanctum et purum et terrena spernentem inhabitans, et mediis eum in turbis tranquillum et in solitudine securum præstat. Illius certe non solum inventio, sed et inquisitio etiam inventis thesauris regnisque gentium, et ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus, O quantum præponenda! Militarium ordinum duces aliquot, in eadem cum duobus Macariis Ægyptiis scapha Nilum trajicientes, Vos, inquiunt, felices estis, qui mundum ridetis: Plane est, responderunt illi; non solum nomine μακάριοι, sed reipsa felices sumus, mundum totum ridentes; vos autem infelices, quos irridet mundus, illecebris suis irretitos tenens. Egregium est, quod narrat apud S. Augustinum Politianus, exemplum militis cujusdam prætoriani, qui cum aliquo suo commilitone deambulans, in casa quadam, in quam casu inciderant, libellum inveniens, in quo scripta erat Antonii vita, ubi

¹⁴ Hor. lib. III. Od. 1.

pauca legisset, in amicum oculos conjiciens, Dic, quæso te, inquit, omnibus istis laboribus quo ambimus pervenire? Quid quærimus? Cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dictum factum, et sine omni mora, idque ab utroque.—Admiranda prorsus præstiterunt priorum seculorum sancti viri, mundum simul et seipsos superantes. Sed nos infelices, degeneres, somnolenti, quæ ipsi facere non possumus, aut certe nolumus, ab illis facta erubescimus, iisque libenter fidem detrâhimus, malumusque illorum negare virtutes, quam nostram inertiam confiteri.

PSALM. XXXII.

Vers. 1. *Beatus cui remissa sunt peccata, et obiecta est transgressio.*

O PUROS, et perennes, et super omnia dulces scripturarum fontes! Hinc *lucem haurire est et pocula sacra*. Philosophorum autem latices, nec in humanis admodum limpidi, in divinis certe turbidi prorsus et cœnosi. Quod et ingenue fateatur summus et Orator et Philosophus, *Mihi*, inquit, *non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi*. Et quid mirum? nam ab humanis parum divina distarent, si illa etiam latentia rationis nostræ acies indagare valeret.

Ἄλλ' οὐ γὰρ ἂν τὰ θεῖα, κρύπτοντος θεοῦ,
Μάθοις ἄν, οὐδ' εἰ πάντ' ὑπεξέλθοις σκοπῶν¹.

Divina nunquam quæ condunt cœlites
Disces, tametsi cuncta vestigaveris.

Irriti sane esset et ridendi laboris solem de nocte, lucernis et funalibus accensis, quærere: præstituta autem hora matutina exoriens, proprio se fulgore omnibus ultro conspiciendum exhibet. Supre-

¹ Soph.

mum hominis bonum investigare aggressi sunt gentium Sapientes; sed per multiplicium errorum devia undequaque palantes neutrum assecuti sunt: nec inter minimos errores hoc ipsum numerandum est, quod ista tanquam duo diversa invenianda proposuerint, cum idem prorsus utrumque sit. Unicum quippe est ultimum illud humani generis bonum, primo et supremo Enti ac Bono, a quo ortum duxit, uniri. Cum autem inter Deum et hominem, ex infanda hujus ab illo apostasia, grave inciderit dissidium, de unione illa attingenda ne vel minima subesset spes, nisi immensa nos respiciens benignitas et clementia plenam ultro delicti gratiam faceret. Unde in propatulo est, magni illius de Felicitate ζητήματος verissimam hanc esse determinationem, *Beatus cui remissa sunt peccata, et obtecta transgressio*. Prima quidem felicitatis consequendæ ratio innocentia erat; qua semel violata, sola salutaris post naufragium tabula est *Resipiscentia* et *Remissio*. Quæ quidem duo adamantino nexu colligasse divinam sapientiam, et tota docet sacra pagina, et signate hic quem prælegimus psalmus. Qui cum adeo insignem religionis κυρίαν δόξαν contineat, merito משכיל inscribitur. Bene S. Augustinus: *משכיל qua intelligitur non meritis operum, sed Dei gratia hominem liberari*.

Beatus.] vel *O beatum!* vel *O Beatitudines!*
 ut hæc sit omnimoda, vel summa et perfectissima

beatitudo: quemadmodum Elephas ob ingentem molem *Behemoth*² dicitur. Ille perfectam et omnibus numeris absolutam adeptus est felicitatem, cui innumera sua debita remissa sunt, quæ supputare non valuit, quanto minus solvere; et beatus qui hoc novit, secundum illud, *Non est beatus, esse qui se non putat.*

נשׂי] Peccato, veluti gravissimo onere, levatus. Hujus vel minimo ponderi impares sunt omnium fortissimi; imo, peccatum onus est humeris Angelicis formidandum; quorum præcipuos de cœlo usque in infernum depressit, unde nec in æternum resurrecturi sunt. Sed cui ferendo nullus inter homines nec Angelos gigas repertus est, subjecit se agnus, sed agnus ἄσπιλος, nullo sui peccati pondere gravatus, imo, ne vel labecula maculatus. *Agnus Dei* et *Filius Dei*, qui et ipse Deus, ille est ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, qui omnia mundi peccata, tanquam unum peccatum, et tulit, et ferendo sustulit.

כסׂי] Quo autem rem adeo arduam, ac est gratuita peccati remissio, et clarius concipiant et facilius ac firmiter credant peccatores, variis in sacra scriptura verborum coloribus depicta est, et typis adumbrata, τοῦ πλῦναι, τοῦ καθαρῖσαι, καὶ ἐξαλειψαι, &c. *abluendi, abstergendi, delendi*, Ps. li.

² *Bellucæ.*

et *veluti nubem dissipandi*, Isai. xliv. ἀμνηστία plenissima obliviscendi, Jer. xxxi. et *in fundum maris projiciendi*, Mic. vii. 19. hic autem *levandi et obtegendi*, et vers. 2. quod utriusque ἐξηγητικὸν est, *non imputandi*. Peccatoris autem levandi vocabulo apte hæc adjicitur peccati obtectio, nullus ut subsit metus ejus in posterum reversuri aut in conspectum denuo producendi, ubi illa non solum humeris nostris abstulit ipse Deus, sed a suis oculis in perpetuum abscondit. Et justitiæ aciem summovet misericordiæ velum, magnum illud amoris divini tegumentum, amplum satis ad tot tantaque delicta penitus operienda. Nec enim ὄμμα illud πάνοπτον latere possunt vel abditissimæ nequitiaë, nisi ipse ultro ignoscens oculum avertat.

Nostis autem quod sit nobis et propitiatorium et operculum JESUS, quem τυτικῶς designavit illud in templo *Capporeth*, quod per ἱλαστήριον ἐπίθεμα reddunt 70. *Ex.* xxv. 17. quo eodem titulo insignitur Redemptor noster, *Rom.* iii. 25. Quin et idem vocabulum כפר Hebræis et *tegere* significat, et *expiare*. Et illud השכל הכפר *Cant.* i. 14. *fasciculus Cypri*, Dilectum nostrum denotans, si levissima variatione legatur כל הכפר איש, quam apte conveniet, *vir omnimodæ redemptionis seu omnium expiationum*. Sed et sic interpretatur Targum appellative per expiationem. Tradunt etiam nonnulli, ut et hoc obiter moneam, hunc

psalmum in solenni expiationum die cantari solitum.

Ad majorem autem tum evidentiam, tum certitudinem, iteratur sententia :

Vers. 2. *Beatus cui non imputat Deus iniquitatem.*] *Non cogitat de peccatis ejus, Aben. Ezra.* Non impingit, in jus non vocat, reputat ac si non fuissent, οὐ λογίζεται, non numerat, ad calculum non revocat, pœnæ debitum non exigit. Remissio itaque est quoad nos summopere gratuita, Sponsore nostro integrum τοῦ λύτρου solvendi negotium in se recipiente. Nostra impunitas illius passio, et ligatio illius liberatio nostra, et illius castigatio pax nostra: ideo dicta a Propheta *castigatio pacis nostræ, et livore ejus nos sanamur.* At O nos insani! qui peccatis etiam Redemptori nostro mortiferis tam misere indulgemus, et Redemptorem etiam pro peccatis illis mortuum tam tepide amamus.

Hanc autem sententiam seipsa adeo egregiam, illustriorem reddidit Paulus, suo scilicet de fidei justitia ratiocinio eam inserens, velut præclarissimum magni illius articuli testimonium: *Hoc modo, inquit, describit David hominis felicitatem, Beatus cui remissa sunt peccata.* Ita sane hæc est Davidica de felicitate sententia: non dixit, beati reges, nec beati duces bellis et victoriis

clari, ipse licet utroque titulo ornatus: felicem non præstant encomia, et aura popularis, aut gradus quilibet ἀνδρομέης τίμης; non beatus qui multa arat jugerum millia, vel qui ingentes auri argentique tumulos conguessit; non qui uxorem pulchram et bene dotatam duxit, imo licet, pro illius seculi vel quarundam hodieque gentium more, uni plures ejusmodi contigerint; nec beatus qui plurima occultiora naturæ, vel etiam religionis mysteria intelligit: sed *O beatum virum! cui remissa sunt peccata, cui Deus non imputat iniquitatem, et cujus spiritui non inest dolus; cui pectus est pœnitentia non ficta, et vero fervidoque sanctitatis amore, et peccati odio penitus imbutum. Hæc vitam faciunt beatiorum, imo absolute beatam. Sed hæc surdis plerumque canimus: non desinet ignarum stolidumque humanum genus superbos, et avaros, et prosperis sceleribus lætos, felices pronunciare, et easdem mendaces felicitatis umbras captando dies suos annosque cum sese perdere.*

Quam ignorant homines gloriæ cupidi, quæ ea sit aut quemadmodum petenda, inquit Romanus sapiens. Quod et de optatissimo illo bono, vera animi γαλήνη et ἀταραξία, pariter verum; quam quidem sequuntur omnes, assequuntur paucissimi. Nos tamen, quibus sacri hujus voluminis cœlesti doctrina frui datur, si hac ex parte ignari usque sumus, ignorantia certe est ἀναπο-

λόγητος et pertinax, et, ut loquuntur Scholæ, protinus affectata; quippe qui in tam clara præfulgente luce ultro cæcutimus: bonum illud, etiam explicatissimum humani animi sinum adimplens, hic nobis demonstratur, quod nos ut plurimum frustra assequi conamur, undique scilicet captantes ubi non est, et ubi solum repositum est neglectui habentes. Ecquid autem est semel in solidum beari? ecce, habetis. Habetis, inquam, non solum clare indicatum, sed et munifice oblatum, ut, ni abnuatis, illico vestrum fiat. Hoc autem est cum DEO in gratiam amicitiamque redire, peccata nostra omnia illo clementissime condonante, nobis eadem scilicet pœnitentia non ficta, animoque doli omnis experte, non solum humiliter confitentibus et lugentibus, sed et deserentibus atque abdicantibus in perpetuum, imo, odio habentibus implacabili: ὦ μάκαρ εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, omnibusque quotquot sunt felicitatis nominibus reque ipsa cumulus, cui hæc contigit *mutatio dextræ Excelsi*, et expiationis hic ac ἀμνηστίας plenissimæ dies candidus illuxit. Ille quam facile mendaces omnes terrenæ felicitatis titulos imaginesque e sublimi despiciat! quibus omnibus orbatus, imo et ærumnis obsessus, atque in mediis malis vulgoque dictis miseriis, beatus esse non desinit: in tristitia lætus, in pauperie dives, in catenis liber est, in hypogæo clara luce collustratus, ignominiis coopertus gloriatur, in ipsa morte vivit, vincit, triumphat. Quid est quod grave sentiat into-

lerando peccati onere levatus? Animose Lutherus: *Feri, Domine, feri, nam a peccatis absolvisti me.* Quem timeat iratum, cui propitius est Deus, Rex ille supremus, cujus ira verissime veluti nuncius mortis, affulgens autem clementia vita est; qui favoris sui radiis omnia lætificat, et *vultu* nubes *tempestatesque* serenat?

Verum observanda jam venit in felicitate constituenda gemini boni complicatio: duo enim hic habemus connexa, ad hominem beandum conspirantia, peccati gratuita remissio³, et pectoris interna repurgatio. Eximia etenim puritatis pars est ἀφελότης seu animi simplicitas, hypocrisi omni dolique technis opposita. Et in vulgari etiam sermone quod simplex est nihilque habet alieni admistum, purum putum dicitur. Remissio quidem nos justos et insontes coram iudice nostro sistit, justitiæque illius sanctitas nostra nec prora est nec puppis; at vero felicitatis nostræ non solum conditio aut signum, sed vere ac proprie pars dicenda est. Puritas, inquam, mentis vere complementum est felicitatis nostræ, tum inchoatæ in terris, tum in cælo postmodum consummandæ; ipsa quidem hic inchoata, illic consummanda. Si quis autem hæc duo, quæ adeo inexplicabili nexu ipsa divina manus complicit, divellere se posse somniat, frustra est: quinimo has duas felicitatis

³ [Requiritur remissionem, repurgationem.]

partes sejungere attentando, non aliud efficiet quam seipsum ab illa tota protinus secludere. E mortis æternæ faucibus eripuit nos victor Jesus; sed et peccati sæva tyrannide vinculisque eximi, et in beatam filiorum Dei libertatem asseri, redemptionis nostræ pars altera est. Quam si quis non pari cum priori beneficio alacritate amplectitur et exosculatur, næ ille servilis et ignobilis animi mancipium bona sua ignorat, et utraque indignus utriusque jacturam faciet. Et epidemica quidem est hæc orbis Christiani antinomia, qua tamen qui laborant, Christiani præter nomen nihil in se habent: remissionem peccati animæque salutem libenter audiunt; sanctitatis autem et respicientiæ doctrinam, ut ingratum et molestum verbum, aversantur. At O pulchram sanctitatem! nec solum ob alia consortii sui bona, sed et propter seipsam summopere expetendam: cujus quicumque ardentissimo amore non rapitur, cæcus est et in molam trusatilem merito ablegandus, ut *serviat æternum, cum oblata nesciat uti libertate*. Dicetne Stoicus, Qui philosophiæ inservit, est vere liber; et nos de religione pura et sanctitate idem asserere dubitamus?

Merito autem inter primas puri animi dotes habetur simplicitas, et hic loci omnium loco nominatur; cum nil Deo, cordis Inspectori, gratius sit, nil Deo similius; eoque gratissimum quia simillimum. Est ille Ens simplicissimum et ipsis-

sima veritas, et *veritate in præcordiis delectatur*, Ps. li. *oditque loquentes* וְלֵב וְלֵב, corde duplices. Et quanto hanc simplicitatem in pretio habuerit Christus, tum præcepto ipsius docemur, *Matt.* x. 16. tum testimonio *Joh.* i. 47. tum proprio potissimum exemplo, 1 *Pet.* ii. 22.

Fortasse autem eo libentius hanc Psaltes hic memorat virtutem, quod pœnitenti angore reflectatur ipsius animus in subdolum suum, nec non etiam sanguinolentum studium adulterii commissi, superinjecto homicidii velo, obtegendi. Utut sit, in pœnitentiæ negotio ἄδολον animi sinceritatem primas obtinere indubium est. Quandoque etiam hominibus ingenua confessione peccata aperienda sunt; sed Deo semper, qui hac ipsa lege benigne obtegit, modo nos ea sincere retegamus: sin autem illius partes nos occupamus, ille certe quod nostrum erat, idque damno nostro, præstabit: nos si abscondimus, ille in apricum proferet, et tanto severius singula excutiet. *Allevat errores ille qui se onerat.* Ambr. *Quantum tibi non peperceris, tantum tibi parcat Deus.* Tertull. Quantæ autem dementiæ Deum velle celare quæ feceris, ὃν οὐ λανθάνεις οὐδέ διανοούμενος, *quem non lates ne cogitans*, ut sapienter Thales. Præterquam autem quod illum latere non possumus, ne velle quidem sapientis esset, vulnera sua scilicet et morbos medicum celare, potius quam peritissima illius manu sanari. Atque hoc est quod in documentum

nostrum de se jam palam confitetur Psaltes: *Quamdiu tacui, inveterascebant ossa mea, &c.* Dum ingenuam confessionis vocem compressit, malorum pondere usque ingravescente expressæ sunt illi rugitus voces: *Dum nolui loqui ut hominem reum decet, mugire coactus sum ut brutum.* Nec tamen misericordiam divinam omnino commoverunt, aut iram placarunt illi rugitus; deerat adhuc vox illa, cui semper resonant viscera paterna, vox filii revertentis et errores confitentis, sine qua clamores omnes in miseriis et planctus Deo non pluris quam canum ejulatus habentur, *Hos. vii. 14.* Ejulat famelicus vel flagellatus canis; sed filii castigati est delicta agnoscere, et paternam iram deprecari; et tum demum agnoscente et supplicante filio, patris clementis est ignoscere et parcere. Nec tamen nescienti Patri nostra indicamus quæ patravimus, sed pœnitentiam deposcenti, ne nobis ille indicet puniendo, quæ nos illi confitendo indicare defugimus. *Et tibi, Domine,* inquit S. Augustinus, *cujus oculus nuda abysus, quid occultum esset in me, si non confiterer, non me tibi absconderem, sed te mihi.*

Manus tua.] Premens gravissima, sublevans suavissima et potentissima, *Ps. xxxvii. 24.* et largiens, plenissima et amplissima, *Ps. civ. 28.* et *cxlv. 16.* Noluit humiliari confessione iniquitatis suæ; ideo humiliatus est pondere manus Dei. O potentem manum! omni alia immensum et gra-

vior ad premendum, et ad sublevandum fortior.
Qui peccata non confitendo supprimit,

Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni;

et sub parcendi specie vere sibi crudelis est. Haustum et retentum peccatum impœnitentia, non condonatione divina obtectum, velut venenum intimas bibit ossium medullas, et vitalem radicalemque humorem exsiccat. Plus habet forte præsentanei doloris, cuspidem carni inhærentem extrahere; negligere tamen majoris est periculi et futuri cruciatus; nec huc illuc cursitando excidunt tela altius infixæ, ut de cerva Maro,

——— Illa fuga sylvas saltusque peragrat
Dictæos; hæret lateri lethalis arundo.

Sed peccatoris unicum dictamnum est vera pœnitentia et humilis confessio; non quæ leviter et verbo tenus peccata vixdum perspecta et cognita agnoscat, sed quæ ex prævio, vero, et vivido animi interius compuncti angore prodeat, et novi⁴ cordis vitæque puritatem continuo insequentem habeat. Atque sic quidem, velut hæc duo connexa complectens, pro toto resipiscentiæ negotio nonnunquam ponitur, ut 1 *Joh.* i. 9. *Si confitemur peccata, fidelis est et justus Deus ut condonet.* Pariter et hic, *Dixi, confitebor, et tu condonasti.* Vera itaque et genuina resipiscentia utrinque oculata est, πρόσω καὶ ὀπίσω βλέπει retrospiciens peccata commissa luget, prospiciens autem lugenda ultra

⁴ [Ed. nova.]

non comittere statuit. Utrumque autem utroque vocabulo μεταμελείας et μετανοίας pariter significatur, quæ idcirco a scriptoribus tum sacris, tum exoticis promiscue adhibentur, adeo ut recepta illarum vocum discriminatio parum habeat fundamenti: nam et μετανοίαν interpretatur Phavorinus, συναίσθησιν ψυχῆς ἐφ' οἷς ἔπραξεν ἀτόπως. Imo nec morose nimis rejiciendam Latinam *pœnitentiæ* vocem judico, utpote quæ apud probatos admodum auctores idem plane cum resipiscentia significat. Si A. Gellium, πρὸς τὰ τοιαῦτα μάλα δεινὸν judicem, admittimus, *Pœnitere*, inquit, *tum dicere solemus, cum quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus.* Sed de vocibus levior cura est: gravissimam autem res ipsa exigit. Illi plane assentior, qui dixit, *Malo sentire compunctionem, quam scire ejus definitionem*⁵. Quantum autem aversatur peccator liberam hanc, licet utilem et salutarem, peccati confessionem, ex hoc etiam pii viri, gravis delicti laqueo jam implicati, exemplo satis constat: diu enim ille in cœno, quo inciderat, obtorpuisse fatetur, et per graves corporis, aut animi, aut utriusque forte cruciatus, tanquam per quæstionem aut tormenta, ad confessionem adactum fuisse. E contrario autem, quam sit proclivis et facilis ad veniam misericordiarum Pater, tanto clarius elucescit, quod vel ad

⁵ Thom. à Kempis, l. 1. c. i. p. 3.

primam confessionis vocem emissam, imo vel propositum interius conceptum, emittitur extemplo e curia cœlesti remissio, seu indulgentia plenissima: *Dixi, confitebor, et tu condonasti, &c.* O miram clementiam! nihil exigit præter confitentem reum; neque hoc vult quo liberius puniat, sed quo liberalius remittat: vult nos agnoscamus, ut ipse ignoscat; vult nosmet judicemus, ut ipse absolvat.

Ver. 6. *Propterea oraturus est te pius omnis, &c.*] Lætum quippe hoc nuntium est, hæc magna Evangelii doctrina, primam spei portam peccatoribus adaperiens, placabilem esse hominibus Deum; imo eousque placatum, ut desertoribus ad obsequium revertentibus panem ultro offerat, obviamque amplexu benignissimo excepturus occurat; eumque qui obnixè adeo ut redeamus obsecret, redeuntium preces et lacrymas neutiquam aspernaturum. Hinc est quod toties scriptum legamus, *Benignus est Dominus, et misericors admodum, ad iram tardus, in gratiam autem et veniam proclivis.* Talis ni esset, quis accedere auderet? talis cum sit, quis est qui reditum vel detrectet vel differat? Certe quicumque sanæ et piæ mentis est, Dominum adeo facilem ac mitem sine mora invocabit, et orabit dum *exorabilis est Deus, Heb. tempore inveniendi*⁶; nam qui promisit pœnitenti veniam,

⁶ *Aptissimum inveniendi Dei tempus, quando invenit homo cor suum præparatum ad revertendum Deumque quærendum.*
R. Dav.

diem crastinum non promisit: sunt opportuna fan-
 di tempora, et præstitutus est veniæ ac gratiæ
 dies, quem qui vecordi pervicacia spreverit, aut
 segnitie prætermiserit, næ ille merito æterna
 miseriæ nocte obruendus est, et iræ divinæ diluvio
 pereat necesse est, qui paratam salutis arcam
 irriserit et contempserit, quam quicumque ingre-
 ditur, pereunte mundo in tuto erit, etsi omnia
 sint pontus, desint quoque littora ponto; prout
 hic dicitur, *Inundatio aquarum maxima ad illum
 non pertinet*. Quod et expertum docere monet,
 seque memori animo ac fide firma retenturum
 statuit Psaltes, v. 7. Tu mihi latibulum et fuisti
 et eris in perpetuum; circumdedisti et circumda-
 bis usque liberationis cantilenis, qui prius peccati
 clamoribus circumdatus eram; ubi et hoc sub-
 monet, Deo Liberatori laudis cantica continuo
 offerenda.

Fidelia autem hæc monita et consilia quo at-
 tentiores et dociliores nos habeant, Doctorem se
 benevolum et Ductorem offert: *Erudiam, inquit,
 te, et docebo qua ambules via*. Tractabilem mo-
 do te præbeas, nec belluina ferocia amica et sana
 consilia repellas, non nisi vi regendus, frænisque
 et lupatis, velut mulus equusve indomitus, coer-
 cendus: talis autem certe est pleraque hominum
 pars; quas acriter quidem philosophus, sed vere
 nimis, βουγενῆ ἀνδρόπρωρα, *hominum facies e
 bove ortas*, nominavit.

Subjicitur autem veluti omnium monitorum summa, et magnum religionis axioma; *Magnos esse impiorum dolores*⁷: [πολλὰ μαστιγες ἀμαρτωλοῦ 70. Lat. *multa flagella peccatoris,*] *In Domino autem sperantes complectetur benignitas.* Et conformi clauditur Psalmus epiphonemate, *Lætamini in Domino justi, et omnes animo integri cantate.* Equidem, Juvenes, nil ultra mihi vobisque quod optem habeo, quam ut hæc ex animo credamus; tunc enim fieri non poterit quin aperto sinu pietatem unice amplectamur omnes, cum bene sibi quemque velle etiam ex natura insitum sit, et dolorem defugere, lætitiâque et voluptatem captare sit, etiam doctore Epicuro, τὸ πρῶτον οἰκεῖον.

Hoc itaque teneamus, ne brutorum more carni serviamus, incolumitatem et lætitiâ et bona omnia illi adesse, quem penes est virtus; summam autem virtutum omnium esse pietatem; et quod consequitur illud Prophetæ, prout reddiderunt Interpretes Septuaginta, οὐκ ἐστὶ χαίρειν τοῖς ἀσέβεσι.

⁷ *Qui belluis similes verbis corrigi nolunt, fustibus puniendi.*
R. Dav.



PSALM. CXXX.



Vers. 1. *De profundis inclamo te, Domine.*

PERUTILE certe est et jucundum, magnorum animorum motus in rebus præsertim magnis et arduis observare: vere autem magnus animus est, totique mundo superior, qui sese in omnibus Deo placidissime subjicit, oneraque sua et curas in eum secure rejiciens, in omni rerum humanarum vertigine supremam illius manum suspicit, et unice intuetur. Talem autem se ubique testatur Regius Vates, et, sicubi alias, in hoc brevi Psalmo, qui videtur ejus esse, luculenter. E mediis quasi fluctibus caput exerens, et vultum vocemque in cælum elevans, *De profundis*, inquit, *inclamo te, Domine.* Non enim rem anteaquam narrat, sed, cum Hebræis pro præsentis et themate sit præteritum, hæc est ipsa precandi formula.

De profundis] Miseriarum scilicet et calamitatum abisso quasi immersus et obrutus. Est quidem homo congenita sorte ad molestiam natus, ut *scintillæ* seu *fili prunarum ad evolandum in altum*: ὡς ἄρα συγγενής ἐστὶ λύπη καὶ βίος. Homines tamen renati proportionem veluti duplicata,

seu bis, ad molestiam nasci videntur; tot adeo tantisque malis præ reliquis hominibus ut plurimum onustos, et nonnunquam pene oppressos videas: quod si cui mirum sit, næ ille *μυωπάζει* admodum, et rerum tantum superficiem intuetur, nec altius in hæc profunda penetrat: cum et ipsi philosophi œconomiae hujus præclaras rationes investigarint, et sese hac ex parte Dei causam audacter agere professi sint; *vere suos amat et severe Deus. Multo aliter patres, inquit Romanus Sapiens, aliter matres indulgent: illi liberos ad studia obeunda mature excitari jubent, feriatis quoque diebus non patiuntur otiosos, et sæpe sudorem illis et interdum lacrymas excutiunt; at matres fovere in sinu, in umbra continere volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortius amat. Operibus, inquit, et doloribus, et damnis exagitentur, ut verum colligant robur; languent per inertiam saginati, nec labore tantum sed et mole et ipso sui onere deficiunt.* Mox Demetrii Cynici vocem virilem profert. *Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenerit adversi; non licuit illi se experiri.* Sine adversis velle vitam transire, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Miserum te dico, quod nunquam fuisti miser. Transisti sine adversario vitam? nemo quid poteris sciet, ne tu quidem ipse. *Experiantur autem in adversis non tam quid ipsi possint, quam quid*

possit in ipsis Deus, et gratiæ divinæ subsidium in iis mirifice sustentandis et exitu felici toties lætificandis; ut dicant, *Deus fortitudo mea, et liberator meus*. Sic et ecclesiam in mediis ignibus tuetur, quasi rubum ardentem, benignitas ejus qui illam inhabitat; et ubi aquis obruta videtur, illam quasi tantum lotam reducit, ut merito ei applicetur, *Mergas profundo, pulchrior exilit*.

Nolumus nos Stoicorum illud παράδοξον suscipere, mala omnino non esse quæ bonis eveniunt: quod tamen benigno sensu amplecti nil vetat, cum mala illa omnia etiam gravissima in bonum converti et cooperari religio nos doceat; quod quidem eodem fere redit, nec aliud forte illi voluerunt. Exilium, paupertas, morbi, mala quidem sunt, id est, duri aliquid et asperi in se habent; sed ubi in virum bonum et fortem incidunt, malitiam suam deponere et quasi mansuescere videntur: et illa ipsa asperitas hoc habet boni, quod virtutem excitet et exerceat, et exercendo quidem augeat; quod fidei radices quasi virtus incursans altius figat, fortitudinem et malorum patientiam roboret; et, prout in hoc exemplo conspiciere est, ad peccata confitenda, et sub benignitatis divinæ alis confugium quærendum, spemque in Deum erigendam, suavi et felici quadam necessitate cogat.

Et unum certe hoc est, quo egregie piis res adversæ in lucrum cedunt, quod a terra et terrenis

affectus avocet, vel etiam pertinaciter inhærentes avellat. *Expedit omnino ut hic dura experiantur, ne stabulum ament pro domo sua.* Sentiant se inquilinos esse et peregrinos in terris, quo frequentius et ardentius patriam exoptantes suspirent, et sæpissime ingement, οἶκος, φίλος οἶκος ἄριστος, *domus amica, domus optima*: quod hoc absynthio ablactentur filii et hæredes regni, ne illecebris carnis seculique venenata dulcedine pellecti, vera illa et pura spei suæ beatæ gaudia falsis hisce et turbidis et lethiferis commutent, neque subjugata cœlesti anima voluptatibus diffluens dominetur σὰρξ ὀλόη παθέων ρίζα πολυσχιδέων, *caro perniciosa passionum multiplicium radix.* Videmus denique quantum vigoris et vehementiæ res adversæ precibus addant; nam et divinus Psaltes quo altius immersus est, eo acrius clamat: *De profundis inclamavi.*

Habet autem in se hæc oratio, pretiosas illas orationis Deo gratæ virtutes, syncrasi suavissima contemperatas, *fidem, fervorem, humilitatem.* *Fidem*, quod et de profundis oret: *Fervorem*, quod clamet: et utrumque rursus proximis verbis; *Fidem*, quod nec in mediis malis auscultationem desperet; *Fervorem*, quod et ingeminatis illam votis et verbis urgeat: *Humilitatem* autem in sequentibus, ubi iniquitatum non minus quam calamitatum se pelago immersum sentit, quibus obrutum se omnino consistere non posse, nisi pura gratia

et misericordia sublevetur, humillime agnoscit. *Si iniquitates observaveris, Domine, quis possit consistere?* Atque illic iterum se clarius conspiciendam *Fides* exhibet una cum germanis suis *Spe* et *Caritate*, quæ, veluti tres Gratia, conser-tis manibus indivisæ se mutuo sustentant. *Fidem* habetis, ver. 4. *Apud te est condonatio; Spem*, quinto et sexto: *Expectavi Jehovam, expectavit anima mea: etiam in verbo ejus expectationem habeo; Caritatem* septimo et octavo, ubi omnem Dei Israelem in ejusdem fidei et spei *κοινωνίαν* benevole invitat, et in earum uberius firmamentum divinæ benignitatis divitias animose prædicat. Hæc est precationis hujus egregiæ compositio, quæ sic quidem composita, velut columna fumi aromatici ex myrrha, thure, suffitu omni fragrantissimo, ascendit. Atque hæc analyseös loco habete, quam quidem pro more dictiotomico minutius instituere, et tritis scholæ vocabulis vestire, ut libere dicam, quam facile et puerile, tam sterile certe est et infructuosum. Nec aliud equidem judicium facio de assueto observatiunculas multiplices captandi et quacun-que vi exprimendi studio, ac si numero potius quam pondere et usu æstimandæ sint. Sed quod ad hæc, cuique sui ingenii libertas esto. *Hanc veniam petimusque damusque vicissim.*

De profundis] O invictas et immortales fidei divinæ vires, *mediis quæ vivit in undis!* quibus-cunque immergatur fluctibus, submergi non potest;

sed sese animamque, cui inest, attollens emergit et supernatat, φελλὸς ὡς ἀβάπτιστος, *ut suber, quod mergi nequit*; hoc habens cum amore divino commune, secundum illud Solomonis in Cantico, *Multis aquis non extingui*. Quæcunque grandia de Sapiente suo Stoici, et de fortitudine tota effatur philosophia; hoc vere præstat et eminenter divina fides, qua vir pius, terreno licet omni subsidio et solatio nudatus, non sua quidem virtute se involvit, sed ipsius Dei: atque hinc est quod nulla tyrannide, nullis minis, nullis vitæ malis, nullo mortis terrore vinci possit, cum ipsi scilicet omnipotentiae innitatur. *Dominus lux*, inquit, *et salus mea; quem timerem? Jehova robur vitæ meæ; a quo expavescerem?* Insurgat bellum, metentur contra me castra hostes; sub latibulo Excelsi, inquit fides, *secura sum, et nihil illum amplexa timebo.*

Habetis hic Psaltem cum fiducia de profundis clamantem: conspiciate item Prophetam Jonam reipsa et, quod aiunt, secundum literam in profundis; et, quod mari ipso, et visceribus piscis, omnique profundo ad fidem concutiendam valentius fuisset, non penitus sine culpa sua et immisto pervicaciæ reatu; inter hæc tamen omnia non absorbetur fides: *Inclamavi*, inquit, *ex angustia, ex ipso inferorum ventre: projeceras me in profundum, et fluctus tui omnes super me transibant, adeo ut vere dicerem, ejectus sum a conspectu*

tuo; tamen una dixi, suspiciam adhuc versus templum sanctitatis tuæ: ad præcisas montium radices descenderam, circumdabat me abyssus; verumtamen cum sic obrueretur in me anima mea, Jehovahæ recordatus sum. Egregium habetis inter alia fidei et fortitudinis in Davide exemplum, I *Sam.* xxx. Ubi hostes irrumpentes urbem Triglagum combusserant, captasque feminas abduxerant, populusque male sanus de ipso Davide lapidando loquerentur; ille tamen his omnibus obsessus miseriis confirmavit se in Domino Deo suo. Nec quicquam altius et fortius illo Jobi dicto, *Si enecaret me, tamen in illo sperarem.* Non solum languidus et moriens, sed etsi ipsius Dei manu quasi confossus expirarem, ab illa ipsa tamen manu, quæ mortem dederat, vitam salutemque sperarem, et in ipsis mortis faucibus hanc extremam una cum anima vocem emitterem, *Domine, ne perdas in te sperantem.*

Nec est hæc animæ piæ fiducia, opinio in his profundis fluctuans, aut levis emergendi conjectura; sed certa, et firma, et nunquam mendax *πεποιθησις*. Vulgaris quidem et debilis solatii vox est, *τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἀμεινον'* sed fortius et firmiter loquitur divina fides, etiam ubi abyssus abyssum inclamat, certissime statuit frustra non fore. Et sic quidem, *Psal.* xlii. etiam contra omnes animæ suæ conturbatæ obstreperos tumultus, hoc affert usque non dubitabundus et vacillans, *Recumbe,*

inquit, *in Deum, nam illum adhuc laudaturus sum*; id est, de salute et exitu læto ex hac ipsa, qua jactor, procella illi sum laudis hymnum persoluturus: licet in præsentī nil in conspectu sit præter tenebras et turbines, et scopulos, et concitatum mare; Gubernatoris peritia et potentia his omnibus opponatur. Et quod psalmus ille de navigantibus, descendantibus etiam in hæc maria applicetur; hoc certe ex periculis hisce omnibus lucrantur, Gubernatoris illius altissimi *opera vident in abyso, et mirabilia in profundis speculantur*. Quique huic se Gubernatori tradit, illumque unice intuetur, naufragus licet sit, vel videatur potius, omnibus amissis sarcinis; cum tamen fidei suæ naufragium non faciat, nihil certe de suo amisit, imo et mortis abyso absorptus non perit tamen, sed in ulterius æternitatis littus enatat, ubi paratum invenit convivium et palatium, imo et regnum *ἀσάλευτον* in secula permansurum.

Inclamavi] Est quidem oratio filiorum Dei vox genuina et naturalis. Sicut oratio pro loquela sumpta propria hominum est, qua a brutis animalibus; ita oratio, prout precessionem significat, piorum est, qua illi a reliquis hominibus secernuntur; idioma civium cœli peculiare. Recitant forte alii precum verba, sed non precantur; quemadmodum psittaci aliæque aviculæ nonnullæ doctentium industria humanas voces imitantur, nec tamen loquuntur. Et certe quod illis, quo mi-

nus dicantur loqui, in garrulitate sua peritissima deest, idem et precantium vulgo in oratione, mens scilicet et affectus voci conformis; vel potius, cui vox ut origini causæque suæ conformetur, et velut index signumque veridicum inserviat. Nec spiritus secularis orare novit, nec Spiritus adoptionis et libertatis ab oratione cessare, *per quem clamamus*, inquit Apostolus, *Abba, Pater*. Nec de Spiritu illo renati, sine precum frequentia vivere valent: est iis oratio quasi novæ illius divinæque vitæ naturalis et necessaria respiratio. *Lam. iii. 56. Ne avertas aurem a respiratione mea.* Vox Hebræa vitalem animalium respirationem signanter denotat.

His non obstantibus, verum est quod supra diximus, et hic loci constat, res adversas precibus vigorem addere, quantumlibet alioqui vividis et assiduis. Sit oratio animorum fidelium sermo naturalis, quo quotidie Deum Patrem alloquuntur; urgente tamen dolore aliquo gravi vel periculo, non minus certe naturale est, vocem eandem solito contentiorem se edere, et in clamorem concitari: sit respiratio fidei affectuumque cœlestium; onere tamen aliquo pressi vehementius certe, ut fit, crebriusque spiritum ducunt; et qui orationi devotissime incumbunt, circumdantibus tamen malis, et fervidius et frequentius orant. Atque hoc inter præcipua ærumnarum vitæ beneficia numerandum; et operæ pretium certe est duriora expe-

riri, modo hoc inde lucremur, ut torporem illum et veternum, quo tranquille agentibus languescere solent animæ nostræ et preces, feliciter seculi aliqua infelicitas excutiat, et violentior aliquis flatus sacrum intra nos ignem ventilet aliquantum et exsuscitet; et cum Psalte profundis nonnunquam immergi, ut clamemus, qui in prosperis languide ut plurimum mussitamus. O quam assidue et ardentem orabat David in desertis et speluncis! (et ille est qui hic de profundis clamat, et illa ipsa forte profunda hæc sunt de quibus clamat:) idem autem in deliciis et otio aulæ securus, tectoque inambulans, suis ipsius oculis vagantibus illaqueatus est, et demisso precum ardore impuris ignibus ardet. Crudelia certe sunt nostra nobismet vota, si nihil nisi spirantes zephyros, et amœna prata, et tranquilla otia in vitæ sortem optamus, vitæ scilicet nostræ tanto digniori et cariori inimicissima.

O quam verum! *fidem in periculis tutam esse, in securitate periclitari*; et orationem in angustiis fervidam, in lætis et jucundis, si non prorsus frigeat, saltem tepescere. O amabiles angustiae! si animam quo minus ad terrena diffluat, cœnoque se misceat, cohibeant; si cœli commercia coelestiumque amorem foveant. Sine iis hæc quam vitam vocamus, vere mors est.

Ver. 2. *Exaudi, Domine.*] Non solum serio eum agere videmus, quod precantium pauci faci-

unt; sed vehementer et animo admodum accenso, quod adhuc pauciores: non ascendit suffitus in altum, nisi succensus fuerit in altari. Et hinc est quod pleræque preces tanquam sonitus evanescant, et in auras dissipentur; non habent alas nec vires, quibus ascendant: nec mirum est non ascendere, cum vix exeant quidem; e profundo pectoris non prodeunt, ideoque in altum non evolant, sed in supremis labris nascuntur, et ibidem certe moriuntur. Et qui vivant, cum vitæ principia omnino non habeant, nec fidei constantiam, nec zeli amorem? Et quemadmodum qui timide rogat, sic et qui frigide rogat, docet negare.

Non est vaniloquentia et damnata in Evangelio battologia, eadem verba pluries ingeminare, modo non, ex incuria et affectus defectu, sed e contrario, ex illius vehementia et exuberantia proveniat. Magnus Apostolus ter se idem rogasse narrat; et Apostolorum Dominus nosterque in eadem verba ter in horto precatus est. Qui oscitabundus et aliud agens verba effundit, illum *μακρὸν νομίζω καὶ δὴ εἶπη ῥήματα*, licet et pauca et apta sint ejus verba, ille tamen ineptus et verbosus. Quid enim ineptius est, quam verborum vel optimorum, sed nihil animi significantium, strepitus inanis? At qui diu orationi insistit, eademque subinde urget, sed ex inflammato pectore ebullientia, ille certe vivide, et solide, Deoque gratissime precatur: et de hoc apprime oratore

obtinet, quod de suo Fabius, *Pectus est quod disertum facit, et vis mentis.*

Exaudi.] Magnus naturæ et rerum omnium Auctor nil frustra facit: non instituit hanc precandi legem artemque tanquam rem inanem et evanidam; sed miram ei indidit ad res maximas perficiendas efficaciam; et clavem certe esse voluit, qua cœli thesauri omnes expeditissime aperiantur. Machinam suppeditavit, qua dira quæque et infelicia levi suavique opera amoliamur, et, quæcunque vere nobis propitia sint et utilia, pari facilitate attrahamus: elevatis in cœlum manibus, cœlum, et terra, et omnia elementa obtemperant et famulantur; et omnia certe hominum, imo quod majus est, Dei opera orationi omnia parent. Nota sunt in sacris literis exempla Moysis, Josuæ, et, cujus meminit Jacobus, Eliæ, quem nobis ὁμοιοπαθῆ idem deserte appellat, ut admirandas precum vires ex communi et humana precantis imbecillitate illustret. Nota est et illa celebris sub Antonino Christiana legio, quæ ex insigni precum suarum affectu κεραυνοβόλος, *fulminatrix*, dici obtinuit.

Verum quidem est vota et corda nostra, nobis etiam tacentibus, Deo in propatulo esse, et res nostras omnes ei perpatriæ curæ esse; nec illi tanquam alioqui vel nescienti vel negligenti ista indicamus, ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει, *qui*

omnia videt; et omnia audit. Verum item est, fixa illius et ἀμετάβλητα consilia omnia. Hæc tamen precandi negotium irritum et supervacuum esse nequaquam arguunt. Quique sic ea acciperet, ac si precationis usum frustrarentur, næ ille εἰαυτὸν παραλογιζόμενος, *falsa argumentatione se decipiens*, nil aliud ratioçinio isto efficeret, quam ut sese adversus divinam munificentiam ingratissimum, ejusque egregio hoc dono indignissimum arguat.

Annon enim hæc hominum cum Deo per preces communicatio summissæ et gratulanter ab omnibus deosculanda, et inter præcipua dignationis divinæ, et ex ea dignitatis humanæ, munera connumeranda est? Et mirum certe est, si quod aliud, vecordiæ humanæ argumentum, quod honorem tantum tantilli habeat; ad magnatum aut principis alicujus terreni rarum et breve colloquium admissus, quasi in cœlum elatus gloriatur, illi licet cum seipso ex eodem luto fictæ imagines sint, basi tantum paulo celsiori impositæ; summi tamen Regis cœlestis, quocum quotidie liberrime versari possit, consuetudinem ultro negligat et pro nihilo ducat, cujus unius aspectus tot beatorum spirituum myriades plena perpetuaque replet felicitate.

Præterea, annon æquissimum est, spirituali hoc precum sacrificio illius et bonitatem ac potentiam

infinite, et indefessam, qua res humanas gubernat, providentiam agnoscere? cumque ab ipsius manu pendeat ipsum *esse* et vita nostra, totaque vitæ salus et solatium omne, quam congruum est hoc mantenentiæ ipsius et dependentiæ nostræ signum et indicium exhibere! Deinde an quicquid dulcius cogitari potest malorum omnium, quibus adeo scatet misera hæc vita, levamen, quam in illius tanquam amici, imo patris amantissimi, sinum curas omnes et molestias effundere? Et tunc quidem in mediis malorum fluctibus et procellis placidissime sese ad somnum recipit vir pius, ubi animi sui querelas et dolores omnes, oratione prius ad Deum effusa, consopierit. Quam jucundum denique est beneficia illa, quæ et seipsis et divina, unde fluunt, benignitate tanti æstimanda sunt, hoc insuper non ingrato caractere signata ad manus nostras deferri, quod precibus scilicet impetrentur!

Exaudi, Domine.] Plerique certe, quemadmodum preces inanes, et languidas, et inefficaces, auribus divinis indignissimas, effutiunt, sic earum videntur hac ex parte ii¹ æstimatores satis æqui, quod de successu nec sperent quicquam, nec solliciti sint; sed tanquam inania verba, quod et revera sunt, ventis dissipanda committunt. A pio autem et prudente viro longe abest, ut in re

¹ [Ed. *uis.*]

tam seria tam inconsulte et insipide nugetur; habet aliquid quo tendat illius oratio, et scopum aliquem, quo assiduis et iteratis votis collimet; nec solum orat ut oret, sed ut exoret, atque hoc tum firme credit, tum constanter et compresse urget, nec spe sibi inani adblanditur; fieri enim non potest, ut vota ulla pia et justa versus illius thronum frustra dirigantur, cujus e titulis est, *quod sit Deus exaudiens orationem*. Et certe quamvis non id ipsum semper, quod petit, impetret, nunquam tamen incassum exit pura et fidelis oratio, quin vel ejusdem voti sui compos fiat, vel pro jucundis aptissima, et pro optatis optima reportet, idque etiam tempore aptissimo. Quapropter vehementia orationis patientia simul et longanimi expectatione attemperanda: nos festino et brevi spiritu, ni mox obtineamus, fatiscimus, et preces nostræ plerumque ut saltatricis illius, *Volo, ut protinus des mihi*. Fervide quidem orans hoc urget, ut in subsidium sibi festinet Deus; ipse autem interea quia credit non præfestinabit, nec in mora longissima ei unquam excidet cum impio illo Rege Israelitico vox illa, *Hoc mali a Domino est; quid eum ultra expectem?*

Sed O quam necesse est animæ Deum purissimum colentes ab affectu omni impuro omnique terrena fæce repurgentur! Verissimum illud Psaltes oraculum, *Si quid, inquit, iniqui animo respexero, non exaudiet Deus vocem meam*. La-

ventur in innocentia manus necesse est, priusquam in cœlum attollantur. *Appropinquate Deo*, inquit S. Jacobus, *et ille vobis appropinquabit*; verum hoc ut fiat subjicit, *purgate manus vestras, peccatores, et corda vestra, hypocritæ*, seu, animo duplices, qui omnium impurissimi. Hæc breviter tantum subinnumus. Vos autem, Adolescentes, divinum hoc studium oro amplectamini, artis scilicet divinæ orandi, quæ unica certe est optimis² quibusque et cœlestibus donis quam celerrime ditescendi. Cogitate nihil esse injucundi vel contemendi, quo vocamini; imo, nihil esse vel jucundius vel sublimius quam cœlestia meditari, cum Deo miscere colloquia, atque inde seculi terræque contemptum imbibere, et supra caduca omnia elevare, et vitæ ipsius cœlestis initia prælibare.

Divinæ autem hujus artis oratoriæ præcepta etiam accuratissime tradita, nullos tamen, nisi *θεοδιδάκτους* solos, illius peritia efficaciter imbuunt. Orandum itaque est, ut oretis: et de superiore Academia haurienda hæc piæ et puræ orationis facultas, quæ in cœlum, unde orta est, pernici volatu velut motu suo genuino et naturali subinde revertatur, et in sinum precantis dona referat ditissima. Et certe cum optima quæque a magno et *μεγαλοδώρω Θεῷ* facilius multo quam vilia impetrentur, pusilli esset animi magna non petere;

² [Ed. *optimi*.]

quin potius quod Apostolus hortatur audiamus, Ζηλοῦτε τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, *Affectate dona potiora.* Si infima tantoque datore indigna petamus, respondebit forte, Οὐ βασιλικὸν τὸ δῶρον· sin optima et pretiosissima, gratiam et gloriam, non est quod ἐξάρνησιν illam timeamus, Οὐκ ἀνθρώπινου τὸ λῆμμα. *Si vos, qui mali estis, bona nostis dare liberis vestris, quanto plus Pater cœlestis!* Certe ille bonitas ipsa est et non nisi bona dat, et quo meliora petitis, eo dat libentius et alacrius. Eadem autem repetens D. Lucas, *Spiritum sanctum,* inquit, *petentibus dabit.* Quo quidem dono quid altius vel expeti vel dari potest?

Vers. 3. *Si iniquitatem observaveris, &c.*] Inter virtutes omnes precibus feliciter offerendis necessarias, nulla certe est qua velocius et altius ascendant, quam illa ipsa, qua profundissime descendunt, humilitas: nec veræ humilitatis indubitatus invenitur argumentum, quam peccati et reatus proprii onere pressa ingemiscens conscientia, et inter omnes ærurnarum abyssos de hoc profundo præcipue clamans. Et hic Psaltes reliqua omnia, quæ peressus est, mala quantacunque, communi titulo involvens, hoc unum signate exprimit, *Si iniquitatem observaveris, Domine, &c.* Si quis itaque de calamitatum profundis promptius et benignius exaudiri gestit, de hoc etiam clamet profundo, de profunda humilitate et pœnitenti peccati sensu: licet enim inter omnia profunda, peccatum ipsum sit ab altissimo et sanctissimo

Deo remotissimum, humilis tamen animi sub peccati pondere depressi profundum profundis certe misericordiæ divinæ visceribus omnium propinquissimum; adeo ut huc non inconcinne adaptari possint verba illa psalmi, licet a contextus sensu nonnihil deflexa, *abyssus abyssum invocat*, et per harmonica plane antiphona alteri altera modulatissime respondet.

Conjectaret forte quisquam ex antegressa vehementia, densaque et quasi festina ingeminatione, supplicem hunc paulo audaciorem esse et sui præfidentem, qui adeo crebro et obstrepere pulset: at illi longe aliam esse mentem hæc ipsa continuo subjecta palam faciunt. *Exaudi, Domine, Exaudi.* Hoc votum urgeo, quia me urget necessitas, non quod is sim, vel eum me judicem, qui opem tuam merear, sed quod ea egeam, quod, ni subvenias, peream: tantum autem abest ut, cui subvenias, dignus vel sim vel mihi videar, en! peccatis obrutus plusquam ærumnis, misericordiam gratuitam inclamo: ut precum vocem attendas, peccatorum clamorem ne attendas oro; istis ut annuas, hæc ablue, hæc condona. *Nam si iniquitatem observaveris, quis consistet?* Etiamsi de profundis erutus esset, locum tamen standi, peccatis necdum remissis, non inveniret; imo si sic aufugere et latitare fas esset, iis se rursus potius ingurgitaret, et quarumcunque calamitatum aquis immergi mallet, quam iræ divinæ flammis occurrere.

Hæc autem indignitatis et inquinamenti sui humilis recognitio, piæ precantis fiduciæ non solum contraria non est, sed et perquam congrua, imo congenita et indivisa, et supremo, quem precatur, Regi gratissima. Apud homines quidem tanquam pusilli et abjecti animi τεκμήρια despectui fere sunt, sed altissimo Deo vera humilitas et cordis contritio honoratissima habetur. Apte S. Augustinus: *Inclinat aurem Deus, si tu non erigis cervicem.* Nulla certe est impetrandæ gratiæ efficacior ratio supplicandi, quam sub forma pauperis; et facillimos invenit aditus in curia cœlesti, qui in terrenis facillime et frequentissime repellitur; imo, si dicere fas est, apud illum curia cœlestis sedes quasi figit et commoratur: duo siquidem sunt illa præcipua magni Regis templa et palatia, sublime illud τρισάγιον in cœlis, et cor humile ac contritum alterum est in terris. Optimus ideo precandi modus est ex fiducia, timore et humilitate temperata: harum alarum æquo libramine anima in altum volat, ubi nec timoris ala nimis deprimit, nec fiduciæ altera attollit nimis³: his quotidie et diluculo ad Deum evolandum, et cavendum semper ne eas vel prægravet gula, vel urat luxuria, vel avaritia aut terrenus aliquis affectus conglutinet et quasi visco oblinat. Sed videamus breviter cujusmodi sit hæc Prophetæ confessio.

³ Oratio timida cœlum non attingit, temeraria resilit, et vi sua frangitur. Bern.

Si iniquitates observaveris, &c.] Putaret forte rudis et incautus Lector, illum potius suffugium quærere in turba, et vel sub universa humani generis sorte memorata delitescere velle, vel saltem sua ipsius peccata inde aliquatenus elevare; sed longe certe illi alia mens, *aliquæ in pectore sensus*. Fatetur siquidem, quantamcunque vel ipse vel alius quisquam, incuriosius rem intuitus, innocentiam suam somniare possit, se tamen re-tortis jam interius oculis, tantam sui peccati comperire molem, ut attonitus hæreat, et veluti armatis catervis obsessus exitum nullum inveniatur, nisi tantum ad misericordiam divinam et gratuitam remissionem confugiendo; et cum conscientia suæ jam excitatæ et sese excutientis examen ferre se non posse persentiscat, et inde cogitet quanto minus ferenda sit purissima justitiæ divinæ acies et districta exploratio, hoc aspectu cohorrescens et tremebundus exclamat, *si iniquitatem observaveris, Domine, &c.* Videt, inquit S. Augustinus, *se flagitiis coopertum, et totam etiam vitam humanam circumlatrari peccatis suis*. Et quicumque certe hoc de sua non videt, vel omnino cæcus est, vel extra se degit, et nunquam in se tentat descendere. In oculos quidem humanos graviora tantum incurrunt facinora; sed ubi serio recogitamus nobis cum Iudice πανόπτρῳ rem esse, qui nos intra et in cute novit, qui imos scrutatur cordium recessus, qui non solum quæ homines, sed et quæ nos ipsos intra nos latent, et minimam

quamque intimi pectoris labeculam perspicacissime dignoscit, et, qua est sanctitate infinita, perfectissime odit; an quisquam adeo vecors est, quem hujusmodi meditatio de qualicumque falsa et stolidi innocentiae suæ fiducia non dejiciat? Dubium autem non est, quotidianos et accuratos suorum pectorum exploratores, multa licet vulgarium et temere viventium hominum vitia effugiant, ex illa tamen cura et studio impuritatem propriam tanto oculatius perspectam habere, et exinde tum altiorrem haurire sui abhorrentiam, tum reverentiorrem justitiæ divinæ formidinem. Et certe quo quisque vere sanctior, eo sibi vilior: sed et hoc simul adjiciam, quo quisque sibi vilior, hoc Deo carior.

Quam parum autem cordis aut frontis habent plerique hominum, qui, quasi hoc magni aliquid sit, se a criminum atrocium nota immunes gloriantur! annon egregiæ suæ virtutis præmium integrum habent? *Furtum non feci. Non pascis in cruce corvos.*

Sed qui mores suos omnes, qui facta et dicta, qui oculorum aspectus, imo interiores affectuum motus, ad puram rectamque divinæ legis normam exigunt, et tot tantosque deprehendunt cujusque etiam cautissime transactæ diei errores, sentiuntque quam vacillans sibi sit et debilis fides, quam, si non frigida, tepida saltem pietas et caritas, quam fervidus usque seculi amor, quam indomita

caro, quam incustoditi sensus, et effrænes affectus, corda ad nugas quam attenta, in precibus quam levia et fugacia; qui hæc, inquam, cogitant, quantus eos, æquum est, pungat dolor, et pudor obtegat, et quam merito subinde exclament, *Si iniquitates observaveris, Domine, quis consistet?*

Si observes] *i. e.* Si inquiras et scruteris; deinde si retineas et imputes; utrumque enim continet vox Hebræa. Si inquiras, in justissimo quoque aliquid iniquitatis invenias; et ubi inveni-eris, si retineas et litem ei intendas, nulla poterit se ratione expedire, aut peccatum expiare. Tu inquirendo iniquitatem facile invenies; ille autem ἀντίλυτρον etiam diligentissima inquisitione nul-latenus inveniet, ideoque non poterit consistere; *non habebit*, ut aiunt, *locum standi*, sed iudicio ineluctabili legis et justitiæ sententia cadet.

De meritis operum multa a multis ultro citro-que disputata sunt; sed qui magno conamine ista exequuntur, meo quidem iudicio otiosum plane sibi facessunt negotium: cum et agnoscant ipsi scholastici, saniores saltem, inter Deum et homi-nes, imo et quamlibet conditam naturam, nil tale, accuratius loquendo, intercedere posse; imo, non solum meritum dari nullum, sed nec mercedem omnino locum habere, nisi tantum ex beneplacito et pollicito divino: veteres autem qui meriti vo-cabulum usurparunt, nulla alia ratione illud intel-

lexisse, nisi ut correlatum ad mercedem illam ex gratia pura et benignitate Dei tum promissam tum præstandam⁴. Ceteroquin ad meritum *κυρίως* dictum conspirare illa necessario, quæ operibus humanis quantumvis egregiis nemo est qui tribuere ausit; ut sit opus scilicet indebitum, 2. pure nostrum, 3. perfecte bonum, et 4. mercedi proportionatum. Quæ nisi omnia operi insunt, ad meriti rationem non assurgit; ulli autem humano operi vel unum horum inesse, non prodibit, ut puto, qui asserat. Sed quid multis opus? cum hoc uno argumento concidat illico totus ille meritorum titulus: non datur etiam sanctissimo hominum consistendi locus, si justitiæ trutina ejus opera expenduntur; quanto minus adeo immensam gloriam promerendi! Nec enim hoc solum de infideli et impio negatur, sed et de credente et in gratiam jam recepto et vere pio ac justo, cui abstersis prioris impœnitentiæ et contumaciæ peccatis non solum ea condonata sunt, sed et Spiritus Sanctus donatus. Interrogativa etenim hæc eoque vehemens negatio universalis est; significatque nullum mortaliū in quocunque demum gradu positum, si ad justitiæ divinæ examen revocetur, sine quotidiana et continuo iterata remissione ibidem posse consistere, multo minus ad altius aliquod fastigium conscendere. *Meritum cui in-*

⁴ *Debetur merces bonis operibus; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Conc. Araus.

nititur spes mea, inquit S. Bernardus, tribus hisce constat, caritate adoptionis, veritate promissionis, et potestate redditionis. Hic funiculus triplex est, qui non rumpetur.

Ver. 4. *Verum apud te est condonatio.*] Hæc est genuina divinæ gratiæ methodus; animum vult primo omni sui fiducia vacuum, ut tum demum pura in Deum fiducia repleatur: cæca enim illa *αῦθάδεια*, licet ventosa et inanis sit, quamdiu tamen animum occupatum tenet, illum quidem inflat, et tumore isto inani solidiora quæque, licet undique circumfluentia, arcet, aditumque etiam ambientibus præcludet: quid quod ipsam gratiæ divinæ opulentiam et magnificentiam minus deceat in angustum se dare? quæ cum tanta sit ut nihil non adimplere possit, liberrimum campum et amplissima sibi spatia requirit. Qui ex nihilo omnia in prima mundi nascentis origine eduxit, sui omnino similis est in hac humani generis *παλιγγενεσία* et instauratione purifica; nil invenit Spiritus Sanctus nisi *תהו ובהו*. At certe quicumque hominum hoc se esse vere sentiunt et agnoscunt, jam intra eos Spiritus Dei moveri cœpit et incubare in faciem abyssi, et dictum est iis, *Fiat lux, et lux facta est*; lux illa, qua se informes et tenebrosos et boni omnis vacuos esse perspectum habeant. Magnum quidem est animæ jam emergentis indicium, præter hanc unam gratuitæ misericordiæ, spem omnem aliam emergendi prorsus abdi-

casse; et hoc certe sensu, si quo alio, vere dicatur,

Una salus miseris nullam sperare salutem⁵,

in seipsis scilicet suave justitia aut integritate, suave etiam industria aut expiatione; et quod de periculis suis Apostolus, ad hanc animæ sub peccati sui pondere fatiscientis confessionem non incongrue applicetur: *Ipsi, inquit, apud nos decretum mortis habuimus, ne consideremus in nobismet ipsis, sed in Deo mortuos resuscitante.* Huic enim dicto consimilis admodum hæc exclamatio, *Si tu observes iniquitates, Domine, quis consistet? verum apud te est condonatio.* Qui nullum in justitia standi locum invenit, in misericordia tamen resurgendi; hæc nostri medicina doloris. Atque hoc quidem sensu ægotandum est ut sanemur, moriendum est ut vivamus. Potentiam suam exerit gratia, ubi deficit natura et ars, et omnis excellentia ac virtus humana; nec benignitatem divinam clarius ullæ celebrant animæ, quam quæ velut e lambentibus flammis et ipsis orci faucibus ereptæ revertuntur, superasque ad auras evadunt.

Trita illa apud scholasticos peccati distinctio in *mortale* et *veniale*, non solum vana est et nulli verbo divino innixa, sed vitiosa prorsus, et venia indigna, imo velut pessimi in mores influxus et

⁵ Virg. Æneid. lib. ii.

vere mortifera explodenda. Cum enim iræ divinæ et mortis æternæ periculum apertissimum non impediatur, quo minus *audax omnia perpeti gens humana ruat per vetitum nefas*; annon ad magnam peccatorum catervam ingentem addet licentiam, ubi ex natura sua et toto genere a legis divinæ sententia immunia pronuntiantur? Illud autem quod hic oppono hoc est. Da mihi vel sanctissimum virum, qui toto animi affectu et vitæ instituto a peccatis illis, quæ pro mortalibus illi agnoscunt, longissime abest; annon tamen ex errorum quotidianæ incursionis labe multiplici, quam necessaria sit quotidiana remissio, non leviter sentiet? Nullum peccatum parvum ducet, quod in ter-maximum Deum committitur; nullam veniam parvam, quam ex immensa gratia provenire noverit. Nec unius minimi delicti veniam sibi illud indulgenti spondebit, nec maximorum omniumque omnino peccatorum veniam vere resipiscens despondebit: hæc gratiæ lex est. Dixit vere quidem Poeta, *se judice nemo nocens absolvitur*; alio autem sensu se judicando nocens absolvitur, et peccata deserendo a reatu liberatur. Nec enim vel imaginando concipi potest, quemquam in gratiam cum Deo redire posse, nisi ad Deum revertatur; nec ad Deum reverti posse, nisi peccatis nuntium remittat: quod si fecerit, remittuntur ei in solidum omnia; et quæ prono animi affectu a tergo reliquit, certe in foro divino nunquam illi in conspectu reducentur. Et in hanc plane sententiam con-

spirant omnes Prophetarum conciones Evangelicæ, quibus populum rebellem, Regis sui supremi Dei nomine, ut præcones revocant: *Revertimini, filii aversantes, et ego aversiones vestras sanabo.* Quin et ipse gratiæ fons, Prophetarum Dominus, Evangelicæ doctrinæ Auctor idem et summa, ubi primum ad hanc gratiam promulgandam prodiit, *Resipiscite, inquit, appropinquavit enim regnum caelorum.* Nec nisi deliræ et vesanæ mentis est remissionem quantamlibet amplam et gratuitam peccatori non revertenti impertiendam vel somniare vel optare. Quam indignum enim esset majestate et sapientia divina, gratiam adeo pretiosam in pervicaces illius contemptores prodigere! *Sed apud illum est condonatio.* Quod aptissime dictum; apud illum enim est veluti thesaurus repositus humili omni peccatori ad illum accedenti liberrime et ditissime erogandus. Nec obstat hoc, quo minus libera et gratuita sit hæc gratia; cum commissa omnia peccata et facinora etiam gravissima, nulla omnino pœna mulctave peccatori indicta, absolutissime condonet, hac tamen, prout æquissimum est, lege atque conditione, ut in gratiam jam recepti, illam amore, et obsequio, et vitæ sanctitate grati agnoscant.

Sed nec eo minus gratuita est hæc condonationis gratia, quod *λύτρον* nostrum solverit fidejussor et Redemptor noster JESUS, in hoc ipsum sublime adeo arduumque negotium a Patre unctus

et destinatus: quippe hoc pacto quid aliud egit magnus ille *Misericordiarum Pater*, quam, ut nihil a nobis restaret exigendum, una quadam et in æternum admiranda ratione de suo sibimet satisfacere? Filio suo unigenito cruci affixo, scissa est crumena et effusum est pretium, λύτρον illud ingens omnibus auri thesauris, et fodinis, et toto mundo pretiosius. Qui autem anxie disputant, Annon potuisset simpliciter et absolute, sine omni pretio soluto, peccatum condonari? hic certe nugas agunt: de isto enim, quicquid sit, equis est qui neget hanc, quam elegit Deus, salutis humanæ methodum adeo stupendi mysterii plenam esse, et quasi trino sapientiæ, justitiæ, et misericordiæ aspectu in nos certe benignissimo illustrem, ut nihil tum divina majestate dignius, tum humanæ indignitati⁶ dulcius et munificentius cogitari possit? Prudenter de hoc ipso Athanasius: Οὐχ οὕτω δεῖ ἐν τούτῳ τῷ πράγματι τὸ ἀπλῶς τοῦ Θεοῦ δύνατον λογιζέσθαι, ὡς τὸ τοῖς ἀνθρώποις λυσιτελέστερον καὶ πάννυγε ὁμῶς θεοπρεπέστερον. *Non tam debemus in hoc facto absolutam Dei potentiam considerare, quam, quid hominibus utilius, et maxime simul quid Deo dignius.*

Sapientissimum Conditorem nostrum nobis hominibus legem posuisse æquum fuit, et observantibus tum utile fuisset, tum jucundum: ubi autem

⁶ [Ed. indignitate.]

semel violata est, ortæ sunt diræ inter nos et legem illam inimicitia, quæ perpetuo quasi progressu crescunt, et vires usque eundo acquirunt; verum contumacia illa nostra quid aliud est, quam *πρὸς κέντρα λακτίζειν*, *contra stimulos calcitrare*? Legi sarta tecta manet sua sanctitas et dignitas et immortalitas; nos autem contra nitendo quid lucramur præter inquinamentum, et dedecus, et mortem? Adeo ut, sequestro nullo interveniente, spes reliqua non foret, quin periret funditus humanum genus: sed venit ab alto felicissimus et efficacissimus *μεσεγγυός*, *Intercessor*; et certe Deus ille fuit, qui hanc litem diremit, quique naturam suam infinitum meliorem nostræ jam, licet miseræ et mortali, connubio jungens stabili, miro quodam pacto legi præstitit suam *ἀκριβειαν*, et nobis licet obnoxiiis impunitatem: et pace jam facta, quo in posterum concordia vigeret, omnes beatæ hujusce pacis participes novo et puro, suo scilicet divino, Spiritu animat, ut sancta legis præcepta non solum studiose observare conentur, sed et ea diligant, affectuque alacri amplectantur; et legis ex adverso severitatem quoad omnes in gratiam receptos sic temperavit, ut observantiam illam sedulam, et affectu pio plenam, etsi non omnibus numeris absolutam, benigne interpretetur Pater, et pro perfecta habeat. Atque sic Legislatori Deo inter homines suus constat honos, et hominibus in terris sua pax e cælo descendens: atque

hoc ipsum est quod hic asseritur, *Apud te est condonatio ut timearis.*

Dei timorem cultum omnem sacrum, imo et affectus omnes pios, adeoque totam religionem, solenni et familiari suo sensu complecti, pernotum est: et Junius hic reddit, *Ut reverenter colaris.* Et merito quidem vice omnium ponitur timor ille, qui servilem, quem vocant, et hostilem metum ac terrorem non solum non denotat, sed secludit prorsus et ejicit, reverentia scilicet amore temperata. Nec tamen omnem pœnæ et justitiæ vindicticis metum, sub servilis et parum ingenui timoris nomine abdicandum judico; imo pernecessarius est ejusmodi timor etiam ardentissime amantibus, quamdiu in carne degunt, ad brutæ illius carnis contumaciam domandam et frænandam: et amor ipse timorem illum tanquam capistrum carni indit. *Ps. cxix. 120. caro mea contremiscit, &c.* sic *Heb. xii. ult. Serviamus μετ' εὐλαβείας, cum reverentia, nam et Deus noster πῦρ καταβάλλον, ignis consumens.* Hic autem timor est, qui *initium sapientiæ* dicitur, titulisque honorificis ubique in sacris literis insignitur; sine quo cultus sacri et pietatis nec concipi possunt initia, nec insequi incrementa.

Quemadmodum autem timor sanctus et purus religionis totius compendium et synopsis est, ita peccatorum hæc condonatio et gratuita remissio

timoris illius et religionis magnum est fulcrum et fundamentum: veniæ siquidem desperatio totum genus humanum jam peccato inquinatum a Deo penitus averteret, omnemque præcludens redeundi viam in æterna exilia et odia præcipitem daret. *Apud te est condonatio, Deus, ut timearis*; ut habeas qui te non ut inexorabilem judicem hostemque metuant et fugiant, sed ut mitem benignumque Dominum, imo ut Patrem clementissimum et amantissimum reveantur, ament, et colant. Atque hoc est lætum illud Evangelii nuntium, quo semel audito accurrunt peccatores, et ad Domini Regisque sui adeo mitis et benigni pedes humillime advoluti procumbunt. *Nemo enim meditabitur pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam*⁷. Ille misericors, et in gratiam festinus, aufugientes revocat, exclamans, *Revertimini, Apostatæ et rebelles, et ego aversiones vestras et condonabo et sanabo*⁸. Et illi vicissim, ad misericordiæ viscera resonantibus pœnitentiæ et amoris reciproci visceribus, *Ecce ad te accedimus, Tu enim Jehova Deus noster*.

Atque hoc est quod et prædicavit, et ipse præstitit, magnus ille salutis nuntius et Auctor, *Resipiscite*, inquit, *appropinquavit enim regnum cœlorum*. Non jam vos persequitur ira et vindicta, exterminium vobis minitans, sed regnum

⁷ Ambr.

⁸ Jer. iii. 22.

cœlorum, sed amor et misericordia, et gratia totius contumaciæ vestræ abolitionem aperto sinu explicans, et ultro offerens. Ecce blandissimum Patrem profugo et decoctori filio e longinquo revertenti occurrentem, et jurgiorum omnium loco, amplexibus et osculis et lacrymis non solum peccata ejus omnia, sed et ipsam eorum confessionem, velut amoris diluvio obruentem. *Audiam, inquit David, vocem gaudii et lætitiæ, ut ossa quæ contriveris exultent.* Gravi illo lapsu quasi ad scopulos divinæ justitiæ allisus est, et contrita sunt ei omnia ossa. Quæ autem illa vox gaudii, ossa etiam fracta et comminuta tam facile et subito in pristinam suam plenamque redditura sanitatem? Non alia certe quam illa ipsa a Servatore nostro in Evangelio toties usurpata, *Θάρσει, τέκνον, Bono animo sis, remissa tibi sunt peccata tua.* Illa erat ejus *roseis affusa labellis gratia*, quæ inde in peccatorum vulnera et contrita corda effusa, non solum sanat, sed vere beat, et in æternam felicitatem consignat. Sed heu! plerique peccatorum miseriis suis intorpescunt, et cum morbos suos, lethales licet, nequicquam sentiant, mirum non est quod medium hunc magnum, maximum, *τρισμέγιστον*, parvi habeant. Conscientiæ autem sub peccati pondere ingemiscenti, O! quam suavis hæc remissionis vox!

———Quale per æstum

Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Quisquis autem desolationem non novit, nec con-

*solationem agnoscere potest*⁹. Et, *Homines seculi negotiis et flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, misericordiam non attendunt.* Si qui autem sunt, qui remissionis hujus participes se autumant, divini autem nominis timore corda insimul impressa non sentiunt, se sibi somnia fingere norint, cum hoc ipso fine apud Deum nostrum sit condonatio, ut timeatur.

Reliqua Psalmi parte et suam in Deo fiduciam asserit, et fidelium omnium firmare ac suffulcire conatur.

Ver. 5. *Expecto Dominum*] *Apud te est misericordia.* Qui hoc animitus credunt, suavi illius et amabili vi attrahuntur, et participes fieri gestiunt; nec certe vera est doctrinæ salutiferæ fides ulla, etiam quam historicam vocant, nisi illam vis hæc magnetica animam ad Deum convertendi comitetur. Nec enim cogitari potest, cum rationali naturæ prorsus contrarium sit et ἀύστατον, optabile adeo bonum et eximium quasi in propinquo positum et ultro oblatum intueri, quin ad illud lubentissime amplectendum tota anima impetu ardenti et pronis ulnis illico feratur.

Emortua itaque est et prorsus nulla vulgarium ac nomine tenus Christianorum fides, quæ eos ad

⁹ S. Bern.

gratiam illam divinam, quam se credere aiunt, avidissime exoptandam et expectandam non excitat. Vera et viva fides interioris hominis oculus est, lucidum ac perennem boni fontem et perfectissime amabilem Deum conspiciens, ex quo aspectu fervidissimum amorem nasci necesse est. Et divina illa lux, quæ coelitus animæ immittitur, caloris vehiculum est, et radiis suis ardentibus cor continuo succendit. Et infinitam pulchritudinem conspiciendam exhibens, totos animi affectus in sublime rapit. Interrogatus Philosophus, Cur quod pulchrum esset, amorem attraheret? *Τύφλον*, inquit, *ἐρώτημα*. Merito itaque benignitatem divinam contemplatus Psalter, sese illius dulcedine quasi abreptum testatur. Nil jam terrenum, nil mortale quod optem; a te uno, Domine, pendet anima mea, te sitit, et usque dum potiatur, te indesinenter expectabit. Tu, Domine, jam ad me sustentandum et refocillandum festina, amore enim tui langueo; nec quicquam est in cælo nec in terris præter te, Domine, quod animam hanc amore tui jam transfixam satiare vel solari possit. Et licet indignissimus et sim, et me talem sentiam, qui vel te amem, vel amans frui sperem; non tamen tam absterret vilitas mea, et majestas tua ac sublimitas immensa, quam sustinet animosque addit æque immensa clementia et benignitas; imo et adstipulatur veracitas, cum polliciti tui verbum ob oculos habeam, cui innitar. Idcirco quam ardentem amo et opto, non minus toleranter et

indefesse expectabo et opperiar; et licet mora amantem angat, ægritudinem tamen illam lenibit spes inconcussa: non aliter quam matutinas excubias dum affligunt tenebræ et nocturna frigora, constanter tamen auroræ¹⁰ appetentis spes indubitata solatur.

Nec amoris hujus et spei felicitatem aliis invidet; imo e contrario omnes tanquam ad immensum divitiarum oceanum, non clausum, sed liberum prorsus, alacri et liberali animo invitat. *Speret in Dominum Israel.* Et ne ex numerosissimo huc confluentium cœtu angustias aut inopiam metuant, satis superque parem supplendis omnibus opulentiam fidenter prædicat, *Nam apud Dominum, inquit, est misericordia, et apud illum plurimum redemptionis;* ad peccatores omnes sublevandos, et peccata omnia condonanda gratia locuples satis et copiosa: et quicumque illam adierint, hoc reapse comperient. *Ille redimet Israellem ab omnibus delictis suis.*

Non est omnino malignus fidei oculus, sed amplissima caritate lucidus et scintillans, omnibus omnia bona exoptans, et super omnia cum supremo et immenso bono unionem beatificam. Quemadmodum in regno gloriæ nihil livoris aut invidiæ, quia nihil angustiae; sed secundum Ser-

¹⁰ [Ed. *aurora*.]

vatoris nostri dictum *μοναὶ πολλαί*, *habitationes multæ*, sursum ingentia spatia, et sedes descriptæ piorum non in arcto sed amplissimo in atrio; ita et in prævio gratiæ regno et convivio, Patris cœlestis domus et spatio et ubertate magnifica.

Vos autem animas vestras serio interrogetis velim, Quid sibi velint, quid optent et sperent unice? Si passim adhuc corvos aut muscas sectentur, si *relicto vivarum aquarum fonte, puteos sibi lutosos et rimosas cisternas* magno usque et irritò labore *effodiant*; O miseram spei omnis terrenæ fallaciam, quæ quo grandiora pollicetur, eo impensius illudit! Beati autem qui huc ora et intuitum animi totum converterunt, qui cum sacro Psalte dicant, *Domine, te expecto. Expectat te anima mea, et in verbum tuum recumbo.* Et quod alibi, *Nunc autem, Domine, quid est quod expecto? spes mea in te est.* Qui abdicatis vilibus et generoso animo indignis votis, unum jam amant, et spirant, et sperant, in quo sunt omnia; læto iis semper gaudio vultus renident, nec repulsæ infamia rubore suffundet genas. Quamdiu in multiplici rerum fugacium captura vagamur et discurremus, O! quam crebri luctus, et leves fortunæ lusus incusantium querelæ, quotiesque tragicum illud ingeminandum, *ὦ ὦ τραυματίων ἐπωδύνων*, *O vulnera dolorifica!* Quanta timorum et curarum turba, quæ *animum nunc huc, nunc dividit illuc*, et rapit in partes varias? At

vero cum in magno et unico animarum solatio,
et bono vere *ἀτάρκει*, DEO, spe et mente defixi
hæremus, omnia in tuto sunt, animusque in se-
curo positus

Inconcussa tenet dubio vestigia mundo.

Sursum deorsum ferantur, quæ extra sunt, inte-
rius pax est; nec alia certe, exploratis omnibus,
excogitari potest stabiliendæ mentis ratio, quam
ut uni immobili et immutabili tota in solidum
innitatur.



INDEX AUCTORUM.

- A**CTA Apostolorum. 75. 176.
Æschylus. 108. 109.
Ambrosius. 83. 96. 99. 138.
307.
Antonii (Monachi) Vita. 296.
Antoninus, M. 251. 273.
Apocalypsis. 43. 89. 164.
Aratus. 122.
Aristo. 111.
Aristophanes. 134. 247.
Aristoteles. 12. 35. 76. 84. 85.
90. 106. 134. 147. 226. 169.
176. 189. 210. 293.
Arnobius. 95.
Arrianus. 64. 94. 102. 107.
Athanasius. 341.
Athenagoras. 289.
Augustinus. 4. 28. 110. 114.
146. 175. 176. 181. 186.
259. 282. 290. 296. 299.
308. 332. 333.
Basilii. 91. 92. 107. 122. 131.
273.
Bernardus. 4. 11. 38. 93. 116.
120. 145. 187. 189. 247.
260. 265. 286. 290. 332.
337. 345.
Boethius. 65. 124. 181.
Chrysostomus. 15. 77. 91. 280.
Cicero. 37. 88. 90. 105. 252.
298.
Claudianus. 55. 67.
Clemens Alexandrinus. 49.
226.
Demetrius, Cynicus, ap. Senec.
315.
Deuteronomii Liber. 90. 131.
Dionysius Areopagita. 253.
Esaias. 139. 195. 313.
Ecclesiastes. 14. 27. 39. 69.
139.
Ecclesiasticus. 291.
Epicurus. 89. 164. 313.
Epigrammatista Incert. 25.
Evangelia. 18. 19. 34. 50. 115.
116. 117. 122. 126. 130.
132. 137. 139. 140. 147.
156. 162. 170. 183. 194.
196. 204. 206. 207. 307.
330.
Euripides. 78. 108. 113.
Fabius. 325.
Franciscus de Verulam. 121.

- Gellius, A. 310.
 Geneseös Liber. 66. 89. 94.
 131. 192.
 Gregorius Magnus. 183.
 Gregorius Nazianzenus. 123.
 181. 285.
 Gregorius Nyssenus. 95. 96.
 97. 100.

 Hermes Ægyptius. 57. 60.
 Hermes Trismegistus. 48. 72.
 88. 136. 263.
 Hesiodus. 157.
 Hippocrates. 97.
 Homerus. 29. 78. 113. 251.
 274. 276.
 Horatius. 28. 49. 119. 126.
 134. 135. 138. 139. 166.
 171. 198. 258. 291. 296.
 316. 318. 334. 339.
 Hosea. 308.

 Jacobus, S. 130. 132. 191.
 288. 325. 329.
 Iamblicus. 513.
 Jeremias. 322. 340. 344.
 Ignatius. 177.
 Joannes, S. 175. 309.
 Jobi Liber. 92. 140. 284. 314.
 320.
 Jonas. 51. 319.
 Josephus. 66. 132.
 Isocrates. 211.
 Judas, S. 183.
 Justinus. 289.
 Juvenalis. 135. 157. 241. 339.

 Lactantius. 69. 73. 90. 135.
 138. 174. 232. 265.

 Lucanus. 161. 252.
 Lucretius. 69. 71. 85.
 Lutherus. 305.

 Menander. 112.
 Methodius. 99.

 Ocellus. 84.
 Ovidius. 41. 95.

 Paulus, S. 7. 27. 34. 42. 46.
 48. 77. 82. 89. 104. 107.
 116. 123. 124. 126. 127.
 130. 131. 138. 139. 140.
 147. 161. 162. 167. 168.
 171. 177. 178. 183. 201.
 204. 207. 209. 226. 263.
 281. 292. 302. 322. 329. 338.
 Persius. 5. 10. 286. 291.
 Petrus, S. 6. 43. 132. 137.
 188. 237.
 Phavorinus. 310.
 Philo Judaus. 129. 132.
 Platinus. 82. 184.
 Plato. 170. 219. 291.
 Plutarchus. 2. 67. 110. 129.
 Proverbiorum Liber. 11. 53.
 71. 89. 164. 167. 190. 191.
 195. 201. 272.
 Psalmorum Liber. 5. 10. 17.
 36. 56. 88. 89. 90. 96. 107.
 116. 118. 119. 129. 146.
 148. 162. 166. 170. 179.
 180. 181. 185. 195. 196.
 211. 236. 291.
 Pythagoras. 287.

 Rabbinici 45. 60. 67. 77. 129.
 293. 311. 313.

- Seneca. 18. 37. 58. 67. 75. 92.
109. 135. 136. 153. 230.
260. 303. 315.
Septuaginta Interpretes. 184.
271. 313.
Severus. 26.
Sophocles. 59. 155. 191. 298.
Stobæus. 13.
Synesius. 15. 186.
Syrach, Filius. 75.
- Tatianus. 83.
Terentius. 114.
- Tertullianus. 221. 273. 307.
Thales. 106. 307.
Thomas a Kempis. 164. 175.
191. 310.
- Varro. 176.
Victor, Claudius. 15.
Virgilius. 81. 115. 127. 205.
248. 276. 305. 309. 338.
345.
- Xenophon. 276.

Lately Published.

1. EURIPIDIS TRAGŒDIÆ PRIORES QUATUOR.
Edidit RICARDUS PORSON. Recensuit suasque Notulas subjecit JACOBUS SCHOLEFIELD, A. M. &c.
Pret. 12s. 6d.
 2. ÆSCHYLUS. Recensuit JACOBUS SCHOLEFIELD.
Pret. 10s. (Complete in one Vol. 8vo.)
 3. THE DOCTRINE OF THE GREEK ARTICLE applied to the Criticism of the New Testament. By the late BISHOP MIDDLETON. Second Edition; Revised by PROFESSOR SCHOLEFIELD. Price 16s.
-

SERMONS by Professor SCHOLEFIELD.

1. The LAW Established by FAITH. Preached before the University. With an Appendix on St. Paul's use of the word Νόμος. Price 1s.
2. The CHRISTIAN MINISTER'S DUTY AND REWARD. A Visitation-Sermon. Price 1s.
3. ST. PAUL and ST. JAMES Reconciled. Preached before the University. Price 1s. 6d.



